D. 1.

VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
25 D
30

C. 65. c.

DE PRAEDESTINATIONE COMPENDIVM,

Libellulis duobus diſtinctum.

In vno, de Prædeſtinatione } agitur.
In altero, de Reprobatione }

Auctore R. P. F. IVLIO SYRENIO, Brixiano,
Ordinis D. Hieronymi.

*Qui Primariæ in Academia Bonon. Theologicæ
Cathedræ præfectus fuit.*

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Venetijs, ex Typographia Dominici Guerræi, & Io. Baptiſtæ,
fratrum. M D L X X X.

Superiorum conceſſu.

AD BEATISS. PATREM
GREGORIVM XIII.

CVM multa ſcientiarum extent præclariſsima genera, Beatiſs. Pater, duo ſunt cæteris omnibus præclariora, Philoſophia, & omnium eminentiſsima ſacroſancta Theologia. Hæ nempe peritorum omnium ſententia, cunctis alijs (quæ ad excolendum animum faciunt) eminent, antecelluntq́. Philoſophia in rerum corporatarum conſideratione, tota fermè eſt. Theologia in ſpiritualium potiſsimum contemplatione uerſatur. Quoniam autem corporata natura à ſpirituali tota omnino dependet; ſpiritualis autem in corporatam uirium ſuarum perpetuo nonnihil demittit influxu: factum eſt; ut quemadmodum uel mediocriter rectè philoſophari nemo hominum poteſt; qui Theologiam pluſquàm à limine non ſalutauerit: ita rem Theologicam, non dicam pro dignitate, ſed uel leuiter tractare non poterit; qui Philoſophiæ penetralia audacter ingreſſus non fuerit; eiuſdemq́; ante præcepta non imbiberit. Res ardua ſanè, & difficilis Philoſophia eſt: quòd rerum cauſas, quæ nos ſæpiſsimè fugiunt, ſuis effectibus aptare, & quid unaquæque res ſit, & propter quid exiſtat, explicare profiteatur. At multò difficilior Theologia eſt: quamuis effectus, qui nobis quàm cauſæ notiores ſunt, illa conſideret magis, quàm cauſas: eosq́; non à ſecundarijs cauſis, quæ à nobis non procul abſunt, ut Philoſophia uenatur: ſed à primis, quæ in immenſum diſtant, & ſupernaturalibus, atque diuinis cauſis petere, & cum eis illos com-

componere, necnon ad eas referre, quoad poteſt, conatur. Quippe totus fermè ſapientis Theologi labor, atque uniuerſa ſpeculatio (ſi eam præſertim Theologiæ partem, quæ ſanctiſsimam Trinitatem perſcrutatur, ſecluſerimus: ſiue de angelica natura, ſiue dè homine, ſiue de unigeniti Dei filij incarnatione, ſiue de ſalutaribus ſacramentis, ſiue de perenni beatorum fœlicitate, ſiue de quouis alio diuino beneficio inquirat ille, atque ueſtiget, & ſcrutetur) circa diuinam prouidentiam eſt; necnon in diuinæ prouidentiæ ſemper aliqua conſideratione uerſatur. Diffinitur autem diuina prouidentia, Ratio in ſummo rerum omnium principe conſtituta; quæ ad finem ſuum cuncta diſponit. Ad finem quidem ſuum (Eſt autem finis cauſa cauſarum omnium præſtantiſsima) rem unamquamq; referre, & certo ordine ad eum diſponere, atque dirigere, ſummi rerum omnium Principis Dei prouidentiæ eſt. Ordinem autem iſtum, & iſtam diſpoſitionem, ac directionem dignoſcere, perpendereq;, munus quidem Theologi eſt; ſed difficile adeo; ut poſsimus dicere, hoc opus, hic labor eſt. Ex cunctis nihilominus (ut uel rudi typo, de hoc ipſo nonnihil, & quantum nunc nobis ſufficiat, dicamus) terrenis animantibus, cunctisq; corporatis rebus, quas infinita ſapientia ſua principio Deus condidit, ſeruat, & adminiſtrat; hominem unum in primis, pro ſua benignitate, elegit; quem præcipuè conderet, ſeruaret, curaret (Nunquid, ait Apoſtolus, eſt Deo cura de bobus?) eidemq; maiori diligentia incumberet, ac prouideret. Eum propterea, ſua (quæ immenſa eſt) bonitate, atq; clementia, non ſolùm ut corporata cætera, excellēti aliqua qualitate, aut ut cætera animalia ſenſu ditauit; ſed mente inſuper, ac ratione, necnon libera animi, & uoluntatis poteſtate egregiè exornauit. Quò, nō tantùm dominari in cætera poſſet; ſed beatitudinis etiam

ſuæ,

ſua, & gloria; qua aeternùm beatus eſt, & glorioſus; ſummè bonus participem illum efficeret. Cui, ut ad conditorem, & curatorem ſuum, uultus erectos tolleret; & toto corde, toto animo, totis uiribus illum diligeret, praecepit. Quamobrem cum rebus alijs alios fines Deus praefixerit; ad quos à Natura, & à Naturae principe & auctore Deo, quodam ordine, ſingula dirigerentur, ac quaſi agerentur: cunctis corporatis rebus (o ingentem hominis dignitatem) communem finem hominem praeſtituit. Etenim propter hominem, caelum & terram, & ea, quae caeli ambitu continentur, omnia principiò Deus creauit. Ipſius uerò hominis (o ineffabilem dilectionem) ſeipſum finem eſſe uoluit. Nempe precipua quadam hominem, eximieq́; inſigni, ac ſummè miſericordi prouidentia ſua (Haec illa prouidentia eſt, quā multo labore, ubiq; potiſsimùm exquirūt patres Theologi) ad ſeipſum, ſupremum & germanum finem erexit Deus, direxit, ſubuexit; ſeq́; unum homini praecipuum, infinita ſua clementia, finem exhibuit. Quo (niſi deſiperet) frueretur ſemper, hoc eſt, ad eum non tantùm ſua omnia, ſed ſeipſum etiam dirigeret; & in eo, & propter eum ageret ſingula, quae ageret; atq; eius praeceptis ad mortem uſq; obtemperaret. Duobus propterea, & illis maximè illuſtribus, prae alijs terrenis animantibus uniuerſis ditare hominis naturam beneficijs, maximisq́; ornamētis decorare atque honeſtare decreuit; ratione uidelicet, & rationis indiuidua comite uoluntate. Hac ſanè, ut ipſe ſibi bonum eligeret, malum autem propulſaret. Illa uerò, ut uerum dignoſceret, nec à falſo ſe decipi ſuſtineret. Illud ſanè, ijs auxilijs, fore uero quamconſentaneum erat; ut finem ſuum, ad quem conditus fuerat, aſſequeretur. Quippe ſi rationis rectè iudicantis, recteq́; admonentis praecepta (ut par eſt) audiret; caduca, & fragilia cuncta facilè deſpiceret,

atque

atque contemneret; nec ab eis ſe aliquo modo effaſcinari pateretur; æterna autem, hoc eſt Deum, qui ſolus æternus eſt, et ea, quæ ad Deum pertinent, ad eumq́; aliqua ratione, hominem ſubuehunt, ſummo deſiderio concupiſceret, exquireret, ac ſequeretur: ſummoq́; ſtudio complecteretur, & coleret. Neque ullo pacto, uel uitio quoquam, uel inani aliqua uoluptatis illecebra à Deo diuelli, aut quamminimo temporis ſpatio, ne latum quidem unguem ſeparari ſe, permitteret unquam. Quò actionum ſuarum, ſuiq́; cumprimis ipſius optatiſsimum beatiſsimumq́; finem, & Deum ipſum, beatitudinemq́; ſuam, ſtatum ſcilicet bonorum omnium cumulo perquamauctum, fœlix, beatusq́; tãdem aſſequeretur; in perpetuum illo poſtmodum glorioſiſsimè fruiturus. Iſta tam inſignis de homine Dei cura, & hoc tam admirandum diuinæ prouidentiæ genus, prædeſtinationem patres Theologi appellauerũt; quaſi una uoce tanti tamq́; auguſti finis, bonitatem, præſtantiam, atq; æternitatem ſignificarent. Verumenimuero cum finis iſte (qui Deus eſt) uires humanas adeo ſuperet uniuerſas (Quamcunq; enim creatam rem infinito interſtitio excellit Deus) ut nullus omnino, ad illum aſſequendum (ſi ipſe ſibi permittatur) homini pateat aditus. Impedita propterea plurimum, & difficilis hominum captui, prædeſtinationis, & tantæ prouidẽtiæ ratio, ac fermè inexplicabilis facta eſt. Multi nihilominus & ingenio, & eruditione præſtantisſimi uiri explicare illam aggreſsi ſunt. Ex quibus etſi nonnulli aliqua, quæ ad eius cognitionẽ præclare faciunt, attulerunt: multi tamen tãta uerborum obſcuritate, inutilium dubitationum confuſione, diſtinctionum multitudine, necnon argumentorum & epicherematum perplexitate uſi ſunt. Vt rei (quæ per ſe ſatis clara eſt, multis autẽ modis fuerat obſcurata; ſed illuſtrari ipſa per ſe deſiderabat) explicationem

perce-

perceptionemq́ denſiſſimis nebulis obſcurauerint potius, quàm ad eius notitiam, luminis (quod opus fuerat) aliquid attulerint; & natatore (quod aiunt) Delio, lectori ſæpius, ne obruatur, ſit opus. Ego operam meam in eo totam impendi; non tantũ ut rei diuinæ purum, pio & uerè Chriſtiano lectori, propriumq́ nitorem, pro uirili mea, aperirem, demonſtraremq́: atq; à ſuperinducta caligine, ſanctis ſcripturis, ac ſanctorum patrũ clariſſimis teſtimonijs, quantũ poſſem, uindicarem: ſed etiam (quod multo magis erat in uotis) ut quàm ſit ad miſericordiam, & ad prædeſtinationem, hoc eſt ad ſua exhibenda beneficia, & ad ſalutem hominum omniũ facilis, ac propenſus dominus, hominum mentibus inſinuarem, patefaceremq́ præclarè adeo; ut cuncti, qui, pio animo, hæc noſtra legerent, diuinam in primis erga quemcunq; hominum beneficentiam, facile intelligerent; & ueluti ob oculos poſitam non obſcurè perſpicerent. Vt qui à recta ſalutis ſuæ ratione uitam deflexiſſent, reſipiſcerent continuò, & ad erroris ſui pœnitentiã ſe conuerterent; nullo autem pacto de Domini benignitate, et miſericordia aliquando diffiderent. Vtrum autẽ præſtiterim ipſe, quod mihi propoſuerã; quodq́ uehementer, et ardenter optabam; aliorum eſto iudicium. In hac certe tam operoſa, & difficili cõſideratione, atq; inquiſitione, ad Ariſtophanis (ut eſt in prouerbio) & Cleantis lucernã, me aduigilaſſe multum, oleiq́ plurimum, et operæ me inſumpſiſſe, diuinam autem in primis opem ſummis inter ſcribẽdum precibus ſæpiſſime deprecatũ fuiſſe, affirmabo. Quo labore, cũ multa uiro Chriſtiano, ſiue ad uitam pie inſtituẽdam, ſiue ad inſtitutam retinendam, proficua admodum tradiderimus; tũ multò plura erudito catholico, ad prædeſtinationis intelligentiam præcipuè parandam, ſex libris (quos nondum in lucem edidimus) explicauimus. Quorum lectione, fore ſperamus; ut proborum, & piorum hominum nõ tàm

mentes in hac re perplexa exhilareſcat, & recreētur; quàm uoluntates ad honeſta ſtudia, ad ſanctaq́; deſideria alacriter accendantur. Illa ferme omnia, quæ in libris illis, ad tā-tæ rei intelligentiam, mihi maximè facere uiſa ſunt (in eorum gratiam, qui curis diſtracti, totos illos libros legere non potuiſſent) in epitomen et cōpendiū cogere aggreſſus ſum; nec labor male ſucceſſit. Hoc autem compendiarium opus (quod ut mole paruum, ita ratione maximum eſt) tota animi propenſione pedibus ſanctiſſ. prouolutus Beatit. Veſtræ dicare ſum auſus. Quippe cui, cum quæſtionem, cōtemplationemq́; complexus ſum eam, quæ præcipua Dei beneficia uniuerſa complectatur; & quæ ad Chriſtianam pietatem præſertim attineat; non prorſus indignum ſit uiſum, ut Pont. Maximo CHRISTI Domini Noſtri in terris Vicario, eidemq́; piētiſſimo ſe offerret, atq; humiliter commendaret. Quòd ſi acerrimo ac grauiſsimo Sanctitatis Veſtræ iudicio probatam induſtriam meam intellexero, poſthac alia Chriſtianæ Reip. (cuius habenas ſapientia Veſtra quàm prudentiſsimè moderatur) nihil minus profutura, ſanctis ueſtris diuiniſq́; auſpicijs fretus aggredi libenter experiar; quamquam hæc res, quam nos ſyncere, catholiceq́; explicatam eſſe uoluimus; tā-ta molis eſt, ut in uniuerſa ferme re theologica, quæ ea grauior exiſtat, aut utilior, & denſa caligine obuolutior; reperiatur pene nulla. Beatitud. Veſtrā, ut quod ego minimus ſeruus, ſui nominis immortalitati, omni adhibita reuerentia, humilis, ac genuflexus offero, ſereno uultu benignoq́; animo recipere non dedignetur; ſupplex exoro. Dominus IESVS CHRISTVS Sanctit. Veſtram optabilibus rebus omnibus florentem, diu nobis, uniuerſæq́; Chriſtianæ Reip. incolumem tueatur, & ſeruet. Bonon. ex ædibus S. M. Gratiarum. X. kalend. Aprilis. M. D. L. X. X. X.

Beatitudinis V.

Humillimus ſeruus, & orator

Fr. Iulius Syrenius.

DE PRAEDESTINATIONE COMPENDII R.P.F. IVLII SIRENII BRIXIANII ORDINIS D. HIERONYMI Sacræ Theologiæ Magiſtri.

LIBER PRIMVS.

In hoc libro primo colliguntur breuiſſimis, ea, quæ diffusè ſatis alibi & exactè de Prædeſtinatione dicta ſunt.

Compendium iſtud cur factum. Cap. I.

OPERI quammaximè difficili ac laborioſo, Beatiſs. pater, pio autem chriſtiano utili, & penè neceſſario; in quo de prędeſtinatione accuratè ſatis, & de reprobatione diſſeruimus; & prę incredibili difficultate ſudauimus plurimū, & plurimum alſimus; extremam iam, Deo gratia, manum impoſuimus. Verùm cùm uel ſublimium rerum illarum nimia difficultas, uel prolixa (ut uerius dicam) ſcriptorum de eiſdem commentaria, necnon catholicorum patrum uariæ, in multis, quæ in una uel altera explicanda obrepſerunt, difficultatibus, ſententiæ, in longum inuitam noſtram orationem traxerint, atque diſputationem; operæprecium

facturos nos eſſe exiſtimauimus, ſi in compendium ea colligeremus, quæ in tam ſublimibus tamque arduis rebus tractandis, fusè in eo opere ſatis & exactè dicta ſunt; atque in ſummam aliquam cuncta redigeremus. Ita nanq; & labenti memoriæ (quæ ſemper breuitate gaudet) conſulemus; & lectori in multa ſæpe occupato, atq; diſtracto legendi moleſtiam aliquam auferemus. Quidquid autem in hoc compendio à me dictum, uel ſcriptum fuerit, illibatæ Summi Rom. Pont. & peritiorum catholicorum patrum cenſuræ ſubmitto. Interea uerbis S. Fulgentii Deum ſupplex exoro. Vt quæ neſcimus doceat; quæ nouimus cuſtodiat; quæ dubitamus aperiat.

Prædeſtinatio aſſeritur. Cap. 2.

PRædeſtinationem ſacræ literæ apertiſſimè pronunciarunt, affirmaruntque, ſcribente ad Rom. cap. 4. Apoſtolo, *Quos præſciuit, et prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, &c.* Et paucis interpoſitis. *Quos prædeſtinauit, hos & uocauit; & quos uocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Sed & alibi de eadem, præclaram ſcriptores Sanctos mentionem feciſſe, catholicis cunctis eſſe notiſſimum exiſtimo. Quamobrem lib. ſecundo de prædeſtin. Sanct. cap. 21. S. Auguſtinus meritò ſcriptum reliquit. *Nimiæ contentionis eſt, prædeſtinationi contradicere, uel de prædeſtinatione dubitare.*

Vox iſta prædeſtinatio multis modis ſumitur. Cap. 3.

PRædeſtinationis nomine bifariam Sancti ſcriptores, imò trifariam uſi fuerunt. Modò nanq; in bonam tantùm partem, pro prædeſtinatione ad æternam uitam, & pro diuina electione ad ſempiternam gloriam patres illud ſumpſerunt. Modò in malam duntaxat, pro reprobatione, & condemnatione ad ſempiternam pœnam, ſiue ad æternam mortem. Modò etiam in utrãque ſimul partem, prædeſtinationis nomine illi uſi fuerunt. Libro ſecundo de Summo bono. cap. 6. in utranq; ſimul partem eo nomine uſus eſt B. Iſidorus; dum inquit. *Gemina eſt prædeſtinatio, ſiue electorum ad requiem, ſiue reproborum ad mortem.* In malam tantùm partem libro de prædeſt. Dei cap. 3. Sumpſit D. Aug. cum dixit. *Peccatum in homine in Deo incitat Zelum iuſtitiæ: Zelus uero iuſtitiæ prædeſtinationem: prædeſtinatio autem attrahit mortem.* Et lib. ſecundo de Peccatorum meritis & remiſſ. cap. 17. ait. *Siue damnandi prædeſtinati ſint, propter iniquitatem ſuperbiæ, &c.* Quo loci damnandos dixit prædeſtinatos. In bonam tantùm partem loco ante citato nomen prædeſtinationis Apoſt. ſumpſit, quando dixit. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri, &c.* Et *quos præſciuit, & prædeſtinauit, hos & uocauit &c.* De prædeſtinatione hoc tertio modo ſumpta, ut uidelicet ad bonum tantùm, hoc eſt ut tantùm ad gloriam, aut ad gratiam, aut ad aliquod ſupernaturale beneficium, di-

uinam miſericordem electionem ſignificat: & ut omnino à reprobatione, & à condemnatione ad pœnã, & ad mortem æternam, ſeiungitur; in hoc primo huius compendii libro uniuerſo diſſeremus.

Prædeſtinatio a deſtinatione, & a Prouidentia diſtinguitur. Cap. 4.

Diſtat à prouidentia, ex communi uſu loquẽdi, & à deſtinatione prædeſtinatio. A prouidentia quidem, quod prouidentia ſit rerum omnium, prædeſtinatio uerò rationalis creaturæ tantùm. Rurſus prouidentia eſt reſpectu cuiuſcunque finis, tàm naturalis, quam ſupernaturalis; prædeſtinatio uerò reſpectu finis ſupernaturalis dumtaxat. Voco nunc naturalem finem illum; qui naturæ, hoc eſt creatæ rei cuiuſpiã uirtute, quæcunque illa ſit, aut plurium, aut etiam omnium ſimul creaturarum uiribus, acquiri poſſit. Supernaturalem autem uoco illum; quem non per uim creaturæ alicuius, imo nec per rerum ſimul creatarum omnium uirtutem, ſed per unius tantùm Dei uoluntatem, per eiusq; tantum beneficentię largitatem, obtinere quis ualeat. Ex ijs conſequens eſt; prædeſtinationem partem eſſe diuinæ prouidentiæ, ſub eaq; contineri.

A deſtinatione autem differt prædeſtinatio: tum quoniam deſtinatio eſt tantùm rei in ſuo eſſe reali, extra diuinam eſſentiam, ſiue in tempore, ſiue in ęuo, iam conſtitutæ, quà deſtinata eſſe dicitur: tum etiam quoniam in ordine ad finem naturalem tantùm eſt; hoc eſt ad finem, quem uel per propriam, uel per

creatæ

creatæ cuiuſpiam rei uim, homo, ſiue quæuis alia creatura aſſequi poteſt: tum tertiò quoniam eſſe poteſt reſpectu rei cuiuſcunque creatæ, ſiue rationalis illa ſit, ſiue irrationalis: prædeſtinatio autem reſpectu rationalis (ut diximus) creaturæ tantùm eſt. Nec requiritur, ut illa creatura rationalis, quæ prædeſtinata dicitur, quà prædeſtinata eſt, habeat extra ſuas cauſas realiter eſſe; ſed ſufficit, ut in diuina eſſentia, ac præſcientia, & intra ſuas cauſas in æternitate, in qua prædeſtinata eſt, conſiſtat. Et præterea in ordine ad finem (ut dictum fuit) ſupernaturalem dumtaxat eſt. Per illam enim præpoſitionem (Præ) uerbo (deſtino) coniunctam, prædeſtinationis ſupra deſtinationem antecedentiam, & excellentiam, hoc eſt prædeſtinationis æternitatem, & finis illius præſtantiam incomparabilem nobis patres Theologos ſignificari uoluiſſe, exiſtimo. Qui quidem finis non niſi ſupernaturale beneficium eſt: & in primis ſumma, atq; optatiſſima beatitudo eſt, ſupremaq; fœlicitas illa; quæ rationali prædeſtinatæ creaturæ, per Dei gratiam, contingit.

Prædeſtinatio diffinitur. *Cap. 5.*

PRædeſtinationem illam, quæ in bonam partem dumtaxat ſumitur, & ad æternam uitam ordinare hominem communiter dicitur, atque ſubuehere: de qua tantùm nos in præſentiarum diſſerere inſtituimus; libro ſecundo de prædeſtin. ſanct. qui aliàs de Bono perſeueran. inſcribitur, cap. 14. B. Auguſtinus hoc modo diffiniuit:

finiuit: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei: quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*. Iſta diffinitio inter omnes à Catholicis ſcriptoribus de prædeſtinatione exhibitas diffinitiones, apud patres & celebris eſt, & in ſe admodum exacta. Hanc unam propterea prædeſtinationis diffinitionẽ ſi rectè (ut par eſt) intellexerimus; & alias de prædeſtinatione diffinitiones omnes, quot quot à patribus catholicis traditæ ſunt, (quæ non paucæ exiſtunt) & ipſam denique prædeſtinationis naturam, qualis qualis illa ſit, rectè & (ut per nos fieri poteſt) exactè ſatis, puto, intelligemus.

Exponitur tradita diffinitio, & hoc capite, uerbum [eſt præſcientia, & præparatio] declaratur. Cap. 6.

BReuiſſimis igitur, ſed accuratè ſatis traditam diffinitionem expoſituri nũc ſumus. Dicitur [præſcientia] quia prædeſtinatio (ut paullo ante dictum eſt) pars eſt prouidentiæ diuinæ (omnis enim prædeſtinatio prouidentia eſt; non contrà recurrit oratio) prouidentiam autem ad ſcientiam, ſiue ad præſcientiam, & ad intellectum, ſiue ad rationem pertinere, cuncti fermè patres Theologi ultrò confitentur: *Eſt enim prouidentia* (ex Boetio, à quo cęteri patres Theologi ſumpſerunt, libro quarto de Conſol. proſ. 6.) *ratio in ſummo omnium principe conſtituta: quæ ad finem ſuum cuncta diſponit*. De qua diffinitione alibi exactius uidendum eſt. Et nos de ea libris quarto & quinto de Fato copiosè

pioſè & diligenter diſſeruimus. Si igitur prouidentia ratio eſt (ut per traditam diffinitionem manifeſtum relinquitur) ſequitur, ut prædeſtinatio etiã, quæ ſub prouidentia continetur, ad rationem, & (quod conſequens eſt) ad ſcientiam, ſiue ad præſcientiam pertineat; ut rectè dixerit D. Auguſt. prædeſtinationem eſſe præſcientiam. Dicitur diuina rei cognitio præſcientia, quòd rei etiam temporaneæ ſcientia ſit Deo coæterna; quæ ex noſtro tantùm modo intelligendi, rem ipſam (quia non niſi in tempore nobis illa innoteſcit) præcedere uidetur. Additur in diffinitione [& præparatio] pluribus de cauſis.

Primò. Quia ipſa prædeſtinatio, quæ ratio eſt; uel eſt quædam etiam, ita nunc dixerim, diuina actio; uel ſaltem, ſecundum modum noſtrum intelligendi, non eſt ſine diuina aliqua actione. quę actio in uerbo [præparatio] denotatur (Præparare nanque agere eſt) nulla autem actio in uerbo [præſcientia] innuitur. Super cap. 14. primi libri Regum, inquit S. Gregorius. *Prædeſtinare apud Deum eſt facere.* Et capite 14. libri ſecundi de prædeſtinatione Sanct. B. Auguſt. inquit. *Prædeſtinatione Deus illa præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.*

Secundò. Vt innueret doctiſſimus Auguſt. in prædeſtinatione nullam eſſe coactionem, & uiolentiam; ſed præparationem tantùm, hoc eſt liberam, ex parte hominis, & uoluntariam diuini muneris receptionem; necnon liberalem, ex parte Dei, atque quàm ultroneam eiuſdem diuini muneris exhibitionem.

Tertiò. Vt ad ſua exhibenda beatifica beneficia, quàm ſit Deus, immenſa bonitate ſua, ac liberalita-

te

te ſemper paratus, & præparatus, oſtenderet. Vtinam ad illa ſuſcipienda, nos ita ſemper parati, & præparati eſſemus, ac prompti.

Exponitur uerbum [beneficiorum Dei.] *Cap. 7.*

DIcitur [beneficiorum Dei] quoniam benefacere tantùm nouit Deus: *Qui cum omnipotentiſsimus ſit, nemini* (ut in lib. ſecundo Theologicarum ſententiarum diſt. 1. Magiſter affirmat) *nocere poteſt*. Et D. Auguſt. lib. cui titulus Enchir. cap. xi. inquit. *Neque Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cum ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret malum eſſe aliquid in operibus ſuis; niſi uſqueadeo eſſet omnipotens; & bonus; ut benefaceret etiam de malo.* Quia igitur nocere nemini poteſt; & quia non permittit malum, niſi ut benefaciat etiam de malo, præparat propterea Deus tantùm beneficia rationali creaturæ. Diuina autem illa, & ſupernaturalia beneficia, quæ per prædeſtinationem rationali creaturæ præparari à Deo, prompteque exhiberi dicuntur; etſi innumera ſunt; in ſummam nihilominus quandam, diſciplinæ gratia, cogi poſſunt. Quamobrem Catholicorum patrum aliqui quatuor illa eſſe dixerunt, uocationem, gratiam, meritum, & gloriam. Nonnuli addiderunt quintum, finalem perſeuerantiam. Sunt qui dicant tria illa eſſe; ex quibus quidam gratiam, meritum, & gloriam conſtituunt: alii cum Apoſtolo ad Rom. cap.4. rectius uocationē, gratiam, & gloriam. Non deſunt, qui duo tantùm

illa ſtatuant, gratiam, & gloriam: quòd patres Theologi prædeſtinationem ita communiter diffinire ſoliti ſint. *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio in præſenti, & gloriæ in futuro*. Poſſumus cuncta illa prædeſtinationis beneficia, quæcunque, & quotcunque ſunt, unum eſſe affirmare: & ea omnia, uno nomine, gratiam nuncupare. Omnia nanque & ſingula eiuſmodi beneficia & gratia ſunt, & ex Dei gratia liberaliter emanant. Prædeſtinationem propterea S. Auguſtinus aliquando diffiniuit, *propoſitum miſerendi*. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm dicere, eſt gratia: quòd non niſi ex gratia Deus miſereatur. Quæ gratia, hoc eſt, quæ beneficia omnia & ſingula, quoniam à nullo homine, aut angelo, & (ut uno uerbo dicam) à nulla creatura, imò neque ab omnibus ſimul creaturis, ſed à Deo tantùm exhiberi poſſunt; uerbo propterea [beneficiorum] uerbum [Dei] S. Auguſtinus addere uoluit; ut iſto uerbo non materiam, aut ſubiectum beneficiorum, ſed efficientem, & liberam, ac liberalẽ propriã cauſam denotaret: quæ Deus eſt.

Exponitur verbum [quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.] Cap. 8.

SEquitur in diffinitione [quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur] dicitur [quibus certiſſimè liberantur] quoniam omnia & ſingula eiuſmodi, per prædeſtinationem, rationali creaturæ præparata beneficia, ad gloriam aſſequendam, media ſunt, & certiſsima, & efficaciſsima: quæ ad finem omnino, quem inten-

dunt, abſque aliqua dubitatione, perducunt eos omnes; qui ea aſſequuti (aſſequuntur autem, quod poſtea declarabitur, omnes, per Dei miſericordiam, illi, qui obicem eis non apponunt, & appoſitum, pro ſuo poſſe, remouent.) illis minimè abuſi, ſed promptè (ut par eſt) ac ſanctè uſi fuerint.

Additur [quicunque liberantur] quoniam per eiuſmodi tantùm diuinorum beneficiorum collationem, atque uirtutem, & rectum uſum, omnes à miſeria liberantur; quicunque liberantur. Miſeria autem illa, à qua illi liberantur, qui liberantur, (ſi in uniuerſum loquamur) duplex eſt, tum culpæ in præſenti. (Non me latet interea leuiores aliquas culpas, de patrum ſententia, in alio ſeculo remitti.) tum pœnæ in futuro, uel in præſenti etiam. Temporaneas quidem pœnas in præſenti ſemper incipimus, non ſemper autem perficimus; ſed in futuro aliquando purgandi explemus: æternas autem aliquando incipimus in præſenti, in futuro nunquam deſituras. Libro de Vita Chriſtiana cap. 3. inquit B. Auguſt. *Plerisque ob nimia peccata, & in præſenti, Dei ira ſuperuenit, & in futuro ſeruatur: qui ante iudicij diem in præſenti etiam iudicantur.*

Illi, qui per prædeſtinationem ab eiuſmodi duplici miſeria tãdem liberantur; tres in uniuerſum ſunt, Homo, Angelus, & Christvs, ad multorum patrum ſententiam, ut homo. Homo quidem, quoniam per inobedientiam primi parentis noſtri, & mandati diuini tranſgreſsionem, & contemptum, æternarum pœnarum rei facti omnes perieramus; à quibus non niſi per prædeſtinationem, & gratiam

miſericorditer liberantur; quicunque liberantur. Angelus uero, quoniam & ille, qui perſtitit, ruere atque peccare poterat; ſine diuina autẽ gratia ad ſupernaturalem cõditionem, etiam non peccando ſub uehi, & ad gloriam proficere, ille per ſe non poterat; per prædeſtinationem autem, & per Dei gratiam ad ſalutem ſuam angelus, & ad gloriam ſuam profecit; & à miſeria liberatus eſt, quicunque eſt liberatus. D. Bernardus propterea ſerm. 22. ſuper Cantica dixit. *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti angelo ne laberetur; ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc à captiuitate defendens.*

CHRISTVS etiam ut homo, à miſeria (quod cum omni timore & reuerentia dictum ſit) liberatus dici poteſt. Quoniam (ut catholici illi patres declarant, qui ſententiam iſtam ſequuntur) ſi humana illa ſingularis, quam uerbum aſſumpſit, natura, à uerbo, ante eius (dixerim) ſuppoſitationem, præuenta & aſſumpta non fuiſſet; in humano illo ſuppoſito, in quo ſuppoſitata extitiſſet, illa etiam peccaſſet, aut ſaltem peccare potuiſſet. Et eſto quod minimè peccaſſet, aut etiam peccare minime potuiſſet, ullo modo ſine diuina gratia, & ſine diuina prædeſtinatione, ad æternam uitam non profeciſſet: quòd ſine ea proficere omnino non potuiſſet. Nulla nanque creatura ad gloriam ſine diuina gratia proficere poteſt, aut aliquando potuit. Sine charitate (inquit in 4. diſtin. 20. Magiſter) nemo ſaluus eſſe poteſt. Per charitatem nanque ſolam, à miſeria, creatura liberatur, quęcunque liberatur.

De CHRISTI prædeſtinatione. Cap. 9.

CAeterum de humanæ naturæ in Christo I. D. N. prædeſtinatione, cap. 15. libri primi de Prædeſtinatione ſanct. ita ſcriptum reliquit D. Auguſt. *Prædeſtinatio iſta humanæ naturæ in* Christo *eſt tanta, & tam celſa, & ſumma ſubuectio: ut quo altius attolleretur, non haberet.* De eadem quoque B. Io. Chriſoſt. ediſſerens inquit. *Super omnia, natura noſtra eleuata eſt; ut homo; qui loco tam humili tenebatur, ut deſcendere nõ poſſet ulterius; ad tam excelſam ſedem eleuaretur, ut altius non poſſet aſcendere.* Chriſtus autem ut Chriſtus eſt, hoc eſt ut per gratiam unionis homo ſimul & Deus eſt: non ita eſt prædeſtinatus, ut per prædeſtinationẽ, & per diuina quęuis beneficia, ab aliqua propria miſeria fuerit ipſe liberandus: cum peccare illo modo, & miſer eſſe (omnis enim miſeria noſtra ex peccato ducitur) ille non potuerit: ſed fuerit ab inſtanti ſuæ conceptionis comprehenſor & beatiſsimus. Verumenimuero prędeſtinatus eſt tantùm, ut eſſet ab illa (quam prius diximus) duplici miſeria liberaturus non ſeipſum, in quo peccatum (ut diximus) aut miſeria aliqua non erat; nec malos angelos, qui abſque ſpe reparationis & liberationis à miſeria, peccauerunt: ſed humanam naturam humanumq; genus uniuerſum: hoc eſt eos homines omnes, cuiuſcunque ætatis, ſexus & nationis fuerint; qui cum omni ſtudio, ſi de adultis loquamur, atque omni poſsibili ſua diligentia, in

actionibus naturalibus bonis & bene moratis, uiuere perſeuerauerint: & ad uocationem diuinam, per præparantem gratiam, exaudiendam; & ad diuinam præuenientem gratiam, per diuinam miſericordiam, recipiendam, ſubſequente eorum uoluntate, præparari, atque diſponi, liberariq; tandem uoluerint. Quam diuinam miſericordiam, quia illa ſemper præſto eſt omnibus eam obnixè implorantibus, & ſingulis proxima ſemper aſsiſtit, cùm ſtet Deus ad oſtium cuiuſq; peccatoris, & pulſet; à piis propterea patribus, & præparantem, & præuenientem quandoque gratiam nuncupari, quid prohibet? Inter præparantem gratiam, & præuenientem ego tantam diſtantiam non uideo, quin præparans præueniens dici poſsit. Nec inter præparantem aut præuenientem gratiam, & miſericordiam, quin utraque miſericordia nuncupari poſsit. Diuinæ miſericordiæ eſt, quòd credimus, quod gratia præueniens nuncupatur: diuinæ etiam miſericordiæ eſt, quòd ad fidem ante fidem uocamur, quod gratia præparans appellatur. Eſt præueniens gratia operans, eſt præueniens gratia, quæ operantem præuenit, ad operandumq; excitat; quæ præparans communiter uocatur. *Arbitrium naturæ noſtræ* (inquit Auguſtinus lib. de Eccleſ. dogm. cap. 21.) *ſequax eſt diuinæ inſpirationis*. Sed unde diuina inſpiratio, niſi ex diuina miſericordia, ex diuinaq; præueniente gratia? Ex illa, inquam præueniente gratia, quam præparantem etiam gratiam à patribus ſæpius appellari intelligo. Sed redeo unde diſceſſeram. Matthæi cap. 1. legimus. *Vocabis nomen eius* IESVM. *Ipſe enim ſaluum faciet populum*

ſuum à peccatis eorum. Hoc eſt quoniam prædeſtinatus eſt Christvs non ad miſeriæ ſuæ liberationem, nec ad ſui ipſius adipiſcendam ſalutem; ſed ad liberationem, & ad ſalutem populi ſui, Iesvm propterea, ideſt Saluatorem appellabis. Quis autem populus eius eſt, niſi illi omnes, etiam ſi genere Iſraelitæ non fuerint, qui quocunque tempore, aut loco, in eum ritè, Abrahæ fidem imitaturi, ac rectè credere uoluerint? Huc referri poſſunt Apoſtoli uerba ad Rom. cap. I. *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei, in uirtute, ſecundum ſpiritum ſanctificationis, &c.* Nempè Chriſti prædeſtinatio, per quam unita diuinitati humana natura eſt, *in uirtute eſt ſecundum ſpiritum ſanctificationis*, non ſolùm quia de Spiritu ſancto natus Chriſtus eſt; ſed etiam quia per eum omnes prædeſtinamur, quicunque ſpiritum ſanctificationis accipimus, receptumq; conformati imagini eius, ad finem uſque ſeruamus; quod non niſi per Iesv Christi uirtutem, ac beneficentiam, atque miſericordem prædeſtinationem facere poſſumus.

Aliæ prædeſtinationis diffinitiones ponuntur.
Cap. 10.

ALias etiam & D. Auguſtinus, & alij multi Catholici patres de prædeſtinatione nobis diffinitiones multas tradiderunt, ut illam. *Prædeſtinatio eſt gratuitæ donationis præparatio*. Quam in libro de Fide ad Petrum Diaconum cap. 35. A. Auguſtinus poſuit. Et illam, quam in libro cui titulus Enchiridion cap. 98. idem attu-

lit,

lit, quæ eſt. *Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi.* Et alias alibi. B. item Fulgentius in libro de Duplici prædeſtinatione ad Monimum, ſic illam aliquando diffiniuit. *Prædeſtinatio eſt præparatio iuſtificationis, & adoptionis indebitæ.* Aliquando etiam hoc modo illam idem expreſsit. *Prædeſtinatio eſt præparatio operum: quæ Deus in æterna ſua diſpoſitione, aut miſericorditer, aut iuſtè ſe facturum ipſe preſciuit.* Intelligas nūc miſericorditer erga bonos, iuſtè erga reprobos. Sed & alij pij Catholici patres alias alibi attulerunt de prædeſtinatione diffinitiones; ex quibus nos aliquot alibi retulimus. Alias (inquam) ſi uerba eorum ſpectemus; at ſi uerborum ſententiam, omnes ab eis allatæ diffinitiones una ſunt. Omnium enim diffinitionum, quæ à patribus Catholicis allatæ ſunt, eadem omnino ſententia eſt, longioribus, uel breuioribus uerbis explicata. Earum autem cunctarum diffinitionum ſententiam, ex diffinitione S. Auguſtini à nobis allata, & pro Compendij ratione, ſatis diligenter explicata, apertam iam erudito Chriſtiano, & manifeſtam euaſiſſe putamus.

D. Thomæ de Prædeſtinatione diffinitio. Cap. xi.

INter omnes à Sanctis patribus de prædeſtinatione traditas diffinitiones, illa, quā nobis prima parte, quæſtione 23. art. 1. D. Thomas Theologus præſtantiſsimus attulit, & breuis, & explicata ſatis, & luculenta eſse uidetur. Ea autem eſt. *Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſ-*

ſionis creaturæ rationalis in finem uitæ æternæ. Quam etiam, & ſi ex ijs, quæ ante dicta ſunt, facilis illa, ac manifeſta (ut putamus) euaſit: compendioſsime tamen explicabimus. Dicitur [ratio] quoniam diuinæ prouidentiæ prædeſtinatio (ut ante diximus) pars eſt. Prouidentiam autem ad rationem pertinere patres omnes facile confitentur. Quamobrem paullo ante, hoc eſt, quæſtio. 22. eiuſdem primæ partis, articulo 1. ipſemet doctor Sãctus hoc modo prouidentiam diffiniuerat: *Prouidentia eſt ratio ordinandorum in finem*. Senſus eſt: Quod de rebus omnibus ea ratione, ſiue Deus, ſiue Angelus, ſiue nos homines, dicimur habere prouidentiam: quã ad fines ſuos eas aliqua ratione dirigimus ſingulas, & ordinamus. Per rationem nanque, & per intellectum, non autem per ſenſum, ſingulæ res ad finem ſuum ordinari, dirigiq; dicuntur. Vt illæ res etiam, quæ interna ratione, atque intellectu proprio carent, externo communi non careant, à quo in finem ſuum dirigantur. Hoc eſt, quod libro duodecimo Metaphyſicæ commentatione. 18. ſignificauit Auerr. quando *opus naturæ opus eſſe intelligentiæ* affirmauit. Cum ſit igitur prouidentia ratio, & prædeſtinatio ſub prouidentia (ut ante dictum eſt) contineatur. Eſt enim omnis prædeſtinatio prouidentia, non contrà: conſequens eſt, ut prædeſtinatio ipſa, ratio quædam cenſenda ſit, & opus aliquod prouidentiæ atque intellectus diuini.

Verbum

Verbum [tranſmiſſionis] exponitur. Cap. 12.

SEquitur uox illa [tranſmiſsionis] Eſt enim prædeſtinatio ratio trāſmiſsionis. Ad huius autem uerbi [tranſmiſsionis] intelligentiam, inter miſsionem D. Thomas, & tranſmiſsionem loco citato, ideſt prima parte, quæſtio. 23. eiuſmodi differentiam poſuit: Vt diceret: miſsionem quidem eſſe rei directionē ad finem eiuſmodi; ad quem res ipſa, quæ mittitur, interna ui ſua aliqua, poterat peruenire. Exemplum tibi ſumere potes à nuncio; qui à Domino ſuo ad principem aliquem mitti dicatur: ad quem proprijs uiribus, & proprijs pedibus ex ſe proficiſci ille poterat. Tranſmiſsionem uerò rei eſſe directionem ad finem eiuſmodi, ad quem res, quæ tranſmittitur, nulla interna ui ſua peruenire poſsibile erat. Dat S. Doctor exēplum de Sagitta: quæ in certum ſcopum, & in eiuſmodi certum finem à ſagittario dirigitur: in quem peruenire illa per ſe aliquo modo non poterat. In quo exemplo lectori cauendum potiſsimum eſt: ne ita in prædeſtinatione uiolentiam eſſe putet, ut eſt in tali motu ſagittæ. Quæ ex innata ſui grauitate, dum per uiolentiam à ſagittario ſurſum mouetur; aut ad latus, propenſionem naturalem habet ad deſcenſum. Homo nanque, & ſi ad prædeſtinationem, & ad iuſtificationem, & ad beatitudinem ſuam, nullam uim agentem propriam, & naturæ ſuæ inſitam habet; per quam ad illa ex ſe perueniat, aut etiam ad ea per ſe

moueatur (cum uires uniuerſas humanas illa per immenſum excedant) habet tamen ad ea recipienda, & in primis ad beatitatem ſuam, propenſionem natu ralem quàmmaximam: ut nullo modo, dum per miſericordiam, ad prædeſtinationem à Deo, & ad beatitudinem, uel ad iuſtitiam, ſiue ad aliud quodcunq; beneficium ſupernaturale ipſe ſubuehitur; per naturalem aliquam inclinationem in aduerſum (quod facit ſagitta) nitatur. In pſalmo quippe 106. legitur. *Satiauit Dominus animam ſitientem, & animam eſurientem ſatiauit bonis.* Dicit ſitientem animam, & eſurientem bonis ſaturaſſe dominum. Beatitudinem quippe ſuam naturaliter ſitit quælibet rationalis anima, atque eſurit. Et in cantico Beatiſsimæ Virginis quotidie canit Eccleſia. *Eſurientes impleuit bonis.*

Adde. Quòd per prædeſtinationem, & per quemlibet (dixerim) prædeſtinationis effectum (cum ſit quilibet ſupernaturalis) ſupra ſeipſum, & ſupra naturalis conditionis ſuæ gradum, homo attollitur, atq; ſubuehitur; quod per additionem ſillabæ [trans] in uoce [traſmiſsionis] denotatur: humana autem natura, & homo ipſe ſubuectionem & exaltationem ſuam, non ſolùm non aſpernatur; ſed naturaliter etiam appetit ſummoperè: eſto quòd ad illam aſſequendam, nullam in ſe uirtutem habeat, & facultatem. Eiuſmodi tranſmisſionem ſanctæ literæ aliquando electionem, & aſſumptionem dixerunt. Pſal. 64. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, habitabit in atrijs tuis.* Aliquando ſuſceptionem, & gloriam, & exaltationem Pſal. 3. *Tu Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltatio capitis mei.* Translationem in pri-

ma Epiſtola S. Ioannes illam apertius appellauit, cum dixit. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres*. Tractum nonnunquã (quòd ab externa ſecundum eſſentiã cauſa, hoc eſt à Deo ſit) illam uocauit S. Scriptura. Legitur Ierem. cap. 31. *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miſerans tui*. Et Ioan. cap. 6. ait Dominus. *Nemo uenit ad me: niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*. Sed, etſi tractus illa dicitur, & ab extrinſeca [quantum ad naturam attinet] cauſa eſt; non tamen eſt aliqua (quod etiam prius dictum fuit) in prædeſtinatione, aut in ipſa tranſmisſione, uiolentia ſuſpicanda. *Prædeſtinationis enim nomine* (inquit B. Fulgentius) *non aliqua uoluntatis humanæ coactitia neceſſitas exprimitur: Sed miſericors, & iuſta futuri operis diuini ſempiterna diſpoſitio prædicatur*.

Nec obijciat nobis, quæſo, quiſpiam uerbum Domini Matth. cap. 11. *A diebus Ioannis, Regnum cælorum uim patitur*. Non uiolentia in eis aliqua, qui ad cœlorum regnum tranſmittuntur, uerbo illo [uim patitur] ſed gentilis populi ad fidem promptitudo denotatur. Super Pſal. 2. circa finẽ, hunc locum ediſſerens S. Hilarius inquit. *Regnum cælorum uim patitur; & uim facientes diripiunt illud; quia cum regni cæleſtis poſſeſſio Iſraeli prædicaretur; fides tamen gentium poſſeſſionem hanc ſibi Iſraeli diffidenti præripuit*. Sed ad diffinitionem redeamus.

Exponitur verbum [creaturæ rationalis; in finem uitæ æternæ.] Cap. 13.

DIcitur [creaturæ rationalis:] creatura rationalis illa dicitur, quæ ratione utitur. Bifariam autē ratio ſumitur; tūpro illa animæ potentia, quæ ratione utitur, hoc eſt pro intellectu; tum pro ipſa intellectus operatione, quæ diſcurſus dicitur, & ratiocinium, & ratio. Intellectus communis eſt creatori & creaturæ; hoc eſt Deo, homini, & Angelo. Omnes nanque intelligunt, non æque tamen, ſed pro naturæ ſuæ ratione. Ratio, quæ ratiocinium & diſcurſus dicitur, homini tantùm, & Angelo conuenit: non tamen eodem modo, ſed differenter admodum. Diſcurſus duplex ſanè eſt, proprius, & improprius. Diſcurſus quidem ille, qui proprie diſcurſus dicitur, ex re notiori ad rem ignotiorem contendit: & hic homini proprius eſt. Solus nanque homo ex re magis cognita, in rem minus cognitam peruenire conatur. Non enim ex aliqua re magis nota in alicuius minus notæ rei cognitionem (quod ut diximus, proprie diſcurrere eſt) peruenit, aut peruenire nititur angelus. Diſcurſus autem ille, qui impropriè diſcurſus dicitur, non homini tantùm, ſed Angelo etiam conuenit. Eſt autem eiuſmodi diſcurſus duplex. Vnus, cùm poſt unum aliud conſideramus; ut cùm poſt Solis eclypſim, terræ ſphæricitatem, aut Dei prouidentiam, aut quid aliud contemplamur. Alter, cùm unum in alio cognoſcimus; ut cùm Socratem in ſpeculo intuemur.

Vtroq; nanque modo cognoſcere, intelligere, atque diſcurrere angelus dicitur. Vnum quippe poſt aliud intelligit. Non enim ſimul omnia intelligit, quæ intelligere poteſt. Vnum etiam in alio percipit; ut in uultus excandeſcentia iracundiam. Quod facere, quo quo modo, & impropriè diſcurrere eſt. Homo quippè ſolus (ut dictum eſt) diſcurſu illo, qui propriè diſcurſus eſt, utitur, & ratiocinio: & ex ijs, quæ antea cognouit, ad incognita ſolus contendit per ratiociniū. A Græcis propterea, ut notauit in Cratylo Plato, dictus eſt homo ἄνθρωπος, ἀπὸ τῦ ἀναθρεῖν ἃ ὤπωπε; hoc eſt, quia ea quæ uidit, & ſenſu percepit, reconſiderat, atque diſcurrit. Dicitur denique [in finem uitæ æternæ] ideſt in finem, qui eſt uita æterna; ut constructio ſit intranſitiua. Et de hac D. Thomæ exactiſſima, atque doctiſſima diffinitione hactenus.

Prædeſtinationis principium, medium, & finis Deus. Cap. 14.

EX ijs, quæ hactenus de prædeſtinatione dicta ſunt, nonnulla, quæ plurimum ad rem pertinere uidentur, colligemus. Vnum. Quòd cùm ſupernaturalium tātùm beneficiorum, & eorum omnium, & ſingulorum intuitu, quæ ab uno duntaxat Deo Opt. prædeſtinatæ creaturæ rationali miſericorditer euenire poſſunt, prædeſtinatio eſſe cenſeatur (Eſt enim prædeſtinatio præſcientia & præparatio beneficiorum Dei) habeat autem principium in effectis ſuis in creatura prædeſtinata, & medium, & finem prædeſtinatio, tantorumque

que

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

que beneficiorum præparatio, atque collatio: ſequitur, ut noſtræ prædeſtinationis, ſiue, quod idem eſt, eorum beneficiorum, quæ nobis per prędeſtinationē præparata eueniunt; ſit Deus principium in nobis, & medium, & finis. Principium, nos creando, uocando, & fide illuminando. Medium, ſupernaturalia nobis alia beneficia, ad aſſequendam gloriam, neceſſaria exhibendo; ſed in primis per gratiam nos iuſtificando, & in iuſtificationis ad finem uſque perſeuerantia nos conſeruando. Finis, nos in fine præſentis uitæ noſtræ ad æternam uitam ſubuehendo, & glorificando. Hoc eſt, quod de ſe ipſo (Io. cap. 14.) ait Dominus. *Ego ſum uia, ueritas & uita*; uia, medium; ueritas, principium; uita, finis.

Prædeſtinatio noſtra ab æterno eſſe perhibetur. Cap. 15.

ALterum eſt. Quòd cum prædeſtinatio ratio (ut dictum eſt) ſit quædam in Deo; & diuinæ illa prouidentiæ pars exiſtat; in Deo autem ex tempore poſſit eſſe nihil; quoniam quidquid in Deo exiſtit, Deus eſt; quòd ſimpliciſſima natura & eſſentia ille ſit, ſequitur, ut in Deo ſit noſtra prædeſtinatio æterna quædam ratio; & ſi prædeſtinationis noſtræ effectus, niſi per quandam temporum explicationem, in nobis eſſe non poſſunt; quos ſicut per miſericordem prædeſtinationem ab æterno nobis in ſua eſſentiali pręſcientia contulit; ita eos per eſſentialem præſcientiam in nobis ab æterno Deus infallibiliter nouit; cui futura in tempore omnia incommutabiliter notiſſima ſunt.

Plura prædeſtinationum genera. Cap. 16.

TErtium eſt. Quòd cùm niſi per unam miſericordem prædeſtinationem, diuina, & ſupernaturalia beneficia (quæcunque illa ſunt) hominum nemo aſſequi poſsit: Illa autem (ut prius dictum eſt) plura à multis probatis Theologis numerentur; conſequens eſt, ut plura (ſi fusè, & in uniuerſum de prædeſtinatione loqui uoluerimus) prædeſtinationum conſtituenda genera ſint: ſicut plura ſunt creaturæ rationali per prædeſtinationem præparata atque exhibita ſupernaturalia Dei beneficia: quæ non niſi per eius miſericordem prædeſtinationem, & clementiam obtinere homo poteſt. Et præterea ſequitur: ut qua ratione homo quiſpiam per diuinam pietatem, & largitatem ſupernaturale beneficium aliquod aſſequutus fuerit; eadem ratione ad illud ipſum beneficium prædeſtinatus idem eſſe cenſeatur: ſiue uocatio & gratia præparans, & gratia iuſtificans, & gloria ſimul; ſiue uocatio tantùm, & gratia; ſiue etiam uocatio ſolùm (quæ præparans gratia appellari poteſt) beneficium illud ſit, quod aſſequutum illum eſſe dixerimus. Et rurſum ſequitur, ut pro quo (ita dixerim) tempore illud beneficium aſſequutus ille fuerit, pro eodem prædeſtinatus, idem dicendus erit. Siue pro tempore (dicere liceat) perpetuo, & ſine termino, & fine; ut illi, qui non uocationem tantùm, aut uocationem & gratiam ſolùm, ſed uocationem, gratiam, & gloriam

tandem

tandem aſſequuntur : ſiue pro tempore (dicamus) temporaneo, quod cum termino & fine ſit; ut illi, qui ſiue per baptiſmum, ſalutis & paradiſi ianuam, & primam naufragij tabulam; ſiue poſt baptiſmum, per ſacramentalem ſalutarem pœnitentiam, tabulam alteram, iuſtificantem quidem gratiam & charitatem aliquando ſunt aſſequuti; in ea uero ad finẽ uſque minimè perſeuerarunt; ſed in peccato mortali deceſſerunt. Verùm, etſi prædeſtinationum plura genera ſunt, prædeſtinatio tamen illa, quæ ad gloriæ aſſequutionem eſt; hoc eſt quæ beatitudinem & gloriam includit, abſolute, & ſimpliciter prædeſtinatio dicenda eſt. Illa nanque ſola, & perpetua eſt, & omnia prædeſtinationis ad ſalutem opportuna beneficia complectitur: Aliæ autem prædeſtinationes, quotquot illæ ſunt, non ſimpliciter, ſed quoquomodo, & ſecundum quid, prædeſtinationes dicendæ ſunt; quoniam præcipuum prædeſtinationis finem, hoc eſt gloriam aſſequutæ illæ non fuerunt.

Noua quadam de prædeſtinatione opinio affertur, & reijcitur. Cap. 17.

QVartum eſt. Quòd cum non omnes, qui ſalui fiunt; ſed nobiles tantùm in Eccleſia Chriſti, & hæroas, ut beatisſimam Virginem matrem, Ioannem Baptiſt. Petrum, Paulum, Stefanum, Laurentium, & alios inſigniores Eccleſiæ proceres, prædeſtinatos ſit arbitratus in libris ſuis, quos de prędeſtinatione edidit Reuer. Epiſcp. P. Ambroſius Catarinus, aliorum uero, qui inferioris

ferioris (ut ipſe ait) claſsis ſunt, hominum neminem; eſto, quòd ex illis multi ſalui fiant; quod nouum commentum (quamuis non multum, imò nihil cogentibus rationibus) ſuadere ille conatus eſt: conſequẽs eſt, ut uehementisſimè pater ille errauerit (quod alibi à nobis oſtenſum eſt) & ab omnium patrum Theologorum ſententia longisſimè aberrauerit. Non enim fuit, uel apud antiquiores, uel apud recentiores Catholicos Theologos patres dubitatio aliqua; an qui ſalui fiunt, à Deo ante prædeſtinati exiſtant; ſiue an abſque diuina prædeſtinatione hominum quiſpiam posſit ſalutem aſſequi: cùm ad multorum imò ad omnium fermè Catholicorum patrum ſententiam, non tantùm ſalutem ſuam, ac beatitudinẽ, & gloriam (quod maximum eſt) ſine prædeſtinatione aſſequi ullus hominum poteſt; ſed neque iuſtificationẽ, nec præparantem gratiam, aut uocationem, nec minimum, ita dixerim, aliud quodcunque ſupernaturale beneficium (non me latet interea omnia eiuſmodi & ſingula, maxima eſſe beneficia) abſque miſericordi Dei prædeſtinatione obtinere quis poteſt. Cum ad Romanos capite nono. Scribat Apoſtolus. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit: hos & uocauit; & quos uocauit, illos & iuſtificauit; & quos iuſtificauit, illos & glorificauit*. Quibus uerbis cum præſcientia, & prædeſtinatione non tantùm glorificationem, & iuſtificationem, ſed etiam uocationem coniunxit; quòd ipſa quoque uocatio, nedum iuſtificatio & glorificatio cuiuslibet hominis prædeſtinationis effectus aliquis ſit. Et libro primo Dialog. cap. 8. S. Gregorius de omnibus, & ſingulis diuinis ſuper-

naturalibus beneficijs. inquit, *Obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non ſunt.* Vt omnino quicunque gloriam ſit aſſequutus, uel aſſequuturus, præ deſtinatus etiam ab æterno penitus cenſeatur.

An ex operibus præuiſis ſit noſtra prædeſtinatio. Cap. 18.

VErumenimuero dubitatio illa, an in æterna diuina præſcientia, ad noſtram nos prædeſtinationem aliquid afferre, eamq; aliquo modo apud Deum noſtris operibus iuuare poſſimus, & orationibus; ita ut ex diuino aliquo operum noſtrorum intuitu quoquo modo prædeſtinationem noſtrã proficiſci dicere poſſimus; an potius uniuerſum eximium iſtud beneficium ex mera, & ſimplici diuinæ uoluntatis liberalitate, nulla operum noſtrorum habita apud Deum ratione, nobis eueniat. Hæc, inquam, difficultas pios præ maxima difficultate ſua, & Catholicos tum antiquiores tum recentiores patres, ſuſpenſos diù & anxios detinuit; & multum eos pijs diſputationibus diuexauit; & adhuc forte ſub iudice lis eſſe uidebitur. Cum ſacrarum literarum ueneranda cogat nos auctoritas, Hinc, credere nonnihil ad noſtram prędeſtinationem per opera noſtra afferre nos poſſe: quoniam retributurum nobis eſſe Deum, pro ratione operum noſtrorum, & meritorum, ſiue bonum, ſiue malum, Sancta ſcriptura conſtanter affirmat; Illinc, bona omnia, quæcunque illa ſunt, in primis autem iuſtitię gratiam, & gloriam primarios diuinæ prædeſtinationis

effectus,

effectus, unius nobis diuinæ beatificæ largitatis (abacto procul omni operum noſtrorum intuitu) immēſæq; unius miſericordiæ beneficio, aduenire, eadem ſancta Scriptura comminiſci ſæpius, atque non obſcurè explicare uidetur. Legimus nanque. Pſal. 17. *Saluum me fecit, quoniam uoluit me.* Et ad Titum cap. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Legimus etiam (pſal. 118.) *Hæc facta eſt mihi; quia iuſtificationes tuas exquiſiui.* Et in Cantico Virginis matris. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Et ad Rom. cap. 11. Apoſt. *Reddet unicuique Dominus ſecundum opera ſua.* Et Dominus ipſe Matt. cap. 25. ait. *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere,* &c. Quibus uerbis ore Domini commendari uidentur bona opera noſtra; tanquam ęternę prædeſtinationis, & regni cœleſtis aſſequendi poſſidendiq; aliqua cauſa. Et ſicut pro opinione illa, quæ opera noſtra à ratione prædeſtinationis penitus abdicat, multæ rationes extant, ex quibus aliquot alibi produximus, & inter alias, ratio illa: Quòd ad diuina aſſequenda ſupernaturalia beneficia (quoniam ſupernaturalia, & diuina ſunt) nullam ex ſe homo habeat actricem uirtutem, aut rationem, & proportionem naturalem. Ita pro altera opinione, quæ ad rationem prædeſtinationis noſtræ opera noſtra aliquo modo admittit, non pauciores rationes ſunt, quarum nōnullas alibi adduximus, & inter alias ab aliquibus ratio quædam ita erigitur:

ut ad alterum duorum incommodorum, eum, qui ſic opinatus fuerit, deducat; Vel ut concedat, cunctos homines, pro bonitatis, & miſericordiæ ſuæ imměſitate, Deum ad æternam uitam prædeſtinare; Vel ut perſonarum acceptorem (cum abactis procul noſtris operibus cunctis, pares omnino, pro humanæ noſtræ conditionis ratione, omnes exiſtamus) Deum eſſe affirmet. Vtrunq; autem, & diuinis ſcripturis, & diuinæ ſimul æquitati nimium aduerſatur. Hæc certè difficultas eſt illa difficultas omnium maxima: quæ & antiquorum, & recentiorum patrum piam in ſanctis ſcripturis diligentiam, piaque, in hac difficultate explicanda, ad fidelium omnium ædificationem, ingenia, multis retro ſeculis plurimum torſit.

Ad tactam difficultatem aliorum reſponſio. Cap. 19.

TActam arduam, & ualdè impeditam difficultatem, ut diſſoluerent patres nonnulli pij atque catholici, duas de prædeſtinatione in eccleſia catholica fuiſſe piè ſemper, & catholicè ſuſtentatas opiniones (etſi oppoſitæ illæ uideantur) dixerunt. Eam uidelicet, quæ nulla prorſus operum noſtrorum habita ratione, ex una tantùm diuina uoluntate & miſericordia prædeſtinationem, hoc eſt uocationem, ſiue fidem & gratiam, quæ nobis à Deo confertur, & gloriam, uenire aſſeruit. Et eam, quæ non ex ſola diuina uoluntate, ſed etiam ex operibus noſtris, operumq; noſtrorum præſenſione, quoquo modo prædeſtinationem, fidem

uide-

uidelicet, gratiam, & gloriam miſericorditer hauriri, affirmare non dubitauit. Quorum profectò ſanctorum patrum ſententiæ (etſi pij, & docti uiri ſunt) in eo tamen, quòd & duas has eſſe opiniones, & eas quaſi ab inuicem è regione diſtinctas, atque oppoſitas admittunt; haud multum nos libenter ſubſcribimus, & aſſentimus. Quoniam Cant. cap. 6. ſcriptum eſt. *Vna eſt columba mea, perfecta mea; una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Et pſal. 132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum.* Aliqui propterea opinionem utramque illa ratione ad concordiam uocare conati ſunt. Vt unam quidem dicerent, de ea prædeſtinatione eſſe intelligendam opinionem, quæ ad uocationem, uel etiam ad gratiam, & ad iuſtificationem eſt; alteram uerò de ea, quæ eſt ad gloriam. Illa enim ex una diuina uoluntate, non autem ex operibus ſiue ex operum aliqua præſenſione, uel intuitu, & ex una diuina miſericordia eſt; hanc ex operibus noſtris aliquo modo eſſe, admitti poteſt. P. Ambroſius Catarinus unam de procerum Eccleſiæ Dei prædeſtinatione, alteram de inferioris claſſis hominum intellexiſſe eſt uiſus. Alij aliter opiniones iſtas conciliare conati ſunt.

Reſponſio auctoris *Cap. 20.*

VErumenimuerò cum rem ego diu perpenderim, examinauerimque diligentius; & utranq; opinionem à patribus catholicis abſq; aliquo fidei præiudicio alacriter defendi animaduerterim: non illas (ut prima fronte il-

læ uidentur) duas diuerſas opiniones, & è regione aduerſas & oppoſitas cenſui; imò ne duas quidem illas eſſe exiſtimaui; ſed unam, & eandem penitus: ſecundum illud Ierem. cap. 32. de eccleſia Dei uaticinium. *Dabo eis cor unum, & uiam unam.* Neque prædeſtinationem unam ſolùm, ex una tantùm diuina miſericordi uoluntate, abacta prorſus omni noſtrorum operum ratione, & intuitu; illam uidelicet, quæ ad gratiam eſt: alteram ex operibus noſtris, abacta diuinæ gratuitæ uoluntatis miſericordia, illam ſcilicet, quæ ad gloriam eſt, affirmandum eſſe arbitratus ſum: ſed utranque ex utroque, ſuo modo emanare, affirmare non dubitaui. Vtraque enim prædeſtinatio, & ex diuina miſericordi uoluntate ſimul, & ex noſtris operibus aliquo modo proficiſci dicere poſſumus, imò (ſi non erro) dicere tenemur; diuerſimodè tamen. Eſt enim prædeſtinatio ad gratiam & ex diuina miſericordia, & ſimul aliquo (ſic dixerim) modo ex bonis noſtris operibus; prędeſtinatio etiam ad gloriam, & ex bonis operibus noſtris eſt, & ſimul ex miſericordia diuina. Vtraque autem imprimis ex ipſa miſericordi uoluntate, & gratia diuina eſt. Vt opiniones illæ, quæ duæ uidentur, & diuerſæ, & aduerſæ; aduerſæ non ſint, neque diuerſæ; imò duæ non ſint; ſed una, & eadem penitus. Ad quem modum autem hoc, quod diximus, ueritatem habere poſſit; & prædeſtinatio ad gratiam, quæ ex ſola diuina miſericordia emanat, ſit aliquo modo ex operibus; & prædeſtinatio ad gloriam, quæ ex noſtris operibus eſt, ſit tantùm ex diuina gratia, & charitate; & ſimul utraque prædeſtinatio non ex operibus

ribus

ribus ſit, ſed ex una miſericordi uoluntate diuina; pio atque attento lectori in effectis ſuis, in gratia uidelicet, & in gloria, facilè ſatis oſtenſuri nunc breuibus ſumus.

Gratia quomodo ex operibus proficiſcatur. Cap. 21.

GRatiam de qua ad Rom. cap. 21. ſcriptum eſt. *Si autem gratia, non ex operibus; alioqui gratia iam non eſt gratia.* Ex noſtris bonis & bene moratis rectæq; naturali rationi accommodatis operibus quoquo modo emanare, cum omni humilitate, & abſque pertinacia aſſerimus. Diximus, quoquo modo, quoniam non poſitiua aliqua & efficaci, aut meritoria ratione; ſed priuatiua tantùm, & tanquam à cauſa remouente prohibens. Hoc autem, ad quem modum intelligendum ſit, ita declaramus. Bona opera noſtra (noſtra nunc opera illa appellamus, quæ per liberum arbitrium à nobis ut ex nobis diuino tantùm generali influxu ſuppoſito, ſiue bona, ſiue mala proueniunt) bifariam conſiderari poſſe affirmamus; poſitiuè uidelicet, & priuatiuè; poſitiuè opera noſtra bona conſiderari tunc dicimus: quando ea ratione illa ſumimus, quà actu & formaliter (ita dixerim) talia opera ſunt; hoc eſt qua & benè naturaliter morata ſunt, & ſecundum rectam (ut à nobis fieri poteſt) ex conditione nobis indita naturalem rationem, à nobis effectiuè profecta ſunt; & alicuius præterea alterius effectus (quiſquis ille fuerit) naturaliter cauſa illa exiſtunt;

aut

aut ſaltem exiſtere poſſunt. Omnis nanque res ſicut alterius rei effectus eſt, Deo uno excepto, ita rei cuiuſpiam alterius cauſa poſitiua exiſtit, aut exiſtere poteſt; & (ut uno uerbo dicam) qua ſecundum rationem ſuam formalem conſiderantur, & effectus poſitiui ſunt. Priuatiuè uero eadem bona noſtra opera conſiderari intelligimus: quando non ea ratione illa ſumũtur, qua talia formaliter & naturaliter ſunt; & poſitiui quidam effectus ſunt; ſed qua (cum talia ſint, & cum bene morata ſint, ſecundumque rectam naturalem, etſi ſauciatam, rationem facta ſint, & alicuius effectus cauſa eſſe posſint) nullius rei ſunt naturaliter poſitiua cauſa ſed aliam cauſam (quæ ad operandum ex ſe prompta eſt) alteriusq́; cauſæ operationem tantùm non impediunt, eique operanti cauſæ obicem aliquem non apponunt; nullo autem modo ad effectum illius cauſæ aliquid poſitiuum afferunt, nec aliquo modo eidem coagunt: & ut appoſitè loquamur, quatenus diuinæ, quæ nobis ſemper promptiſſima aſsiſtit, beneficentiæ, ac largitati impedimentum nullum apponunt: quin potius, ſi aliquod ante appoſitum eſt, pro uirili ſua, amouent; aut ſaltem, amouere conantur; dixi [conantur] quoniam ut gratiam Deus unus confert, ita peccatum (quod unum diuinæ gratiæ diuinæq́; largisſimæ beneficentiæ impedimentum eſt) aufert ſolus Deus. Bifariam nanq;, imò trifariam impedimentum non apponimus; tum, non dicam nihil agendo, quia hoc eſſet impedimentum afferre, cum otium ipſum peccatum ſit, ſed nihil ad impediendum agendo; tum illud remouendo pro poſſe, quod ante impediebat;

tum illud remouere uolenti nihil obſtando. Non enim ille tantùm, qui feneſtram non claudit; uel ille etiam, qui feneſtram aperit; ſed ille præterea, qui feneſtram aperienti non obſtát; modo aliquo, hoc eſt modo priuatiuo, cameram illuminare dicendus eſt. Aliqua tamen unuſquiſque ratione diuerſa. Quoniam qui nón claudit, impedimẽtum non affert illuminationi; qui uero aperit, tollit impedimentum aliqua actione; at qui aperienti non obſtat, appoſitum aliquo modo impedimentum remouet: ipſa autem camera à Sole tantùm poſitiuè illuminatur, non ab eo qui feneſtram non claudit, non ab eo qui illam aperit, non ab eo qui eam aperienti non obſtat. Nemo ſanè eorum eſt, qui uel minimum luminis cameræ poſitiuè demandet; ſed priuatiuè tantùm unuſquiſque, ut dictum eſt. Ex noſtris bonis operibus poſitiuè ſumptis, hoc eſt quatenus bona opera ſunt; & ex nobis, ſiue ex actione noſtra bene morata rectæ naturali rationi conformia profecta ſunt; & quatenus uim naturalem aliquam agentem, & aliquam rei cuiuſpiam cauſam ſecum afferunt, nullo modo, ſiue tanquam ex ipſa ui operum, ſiue tanquam ex merito aliquo condigno, ſiue tanquam ex aliqua poſitiua cauſa, gratia diuina, non illam dico tantùm, quæ iuſtificat; ſed neque illa, quæ ad iuſtitiam præparat, proficiſcitur, aut proficiſci poteſt. *Non gratiam Dei,* (S. Auguſtinus ad Bonifacium p̃p̃.) *aliquid meriti præcedit humani*. Quod non ſolùm (ut diximus) uerum eſt de ea, quam præuenientem, & iuſtificantem, ſed de ea etiam, quam præparantem, & peccatorum corda emollientem gratiam patres aliquot appellauerunt.

runt. Alioquin (ut ait Apoſt.) gratia non eſſet gratia. Et Pelagij diù iam hæreſis damnata, atque ſepulta iterum excitaretur. Ad hunc poſitiuum modum ope ra loco citato ſumpſit Apoſtolus, quando dixit. *Si autem gratia, non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia*. Ex eiſdem nihilominus bonis, & bene moratis noſtris operibus priuatiuè ſumptis, hoc eſt, ea tantùm ratione ſumptis, quatenus nullam illa diuinæ ſemper paratiſſimæ beneficentiæ, ac largitati impedimentum apponunt: ad eum modum, præ parans gratia, quæ (ex patribus) illa eſt, quæ peccatoris ad pœnitentiam cor emollit; aut etiam præueniens gratia atque iuſtificans, per diuinam miſericor diam, proficiſci poteſt; ad quem modum ex alicuius impedientis cauſæ non appoſitione, aut etiam (ſi aliqua appoſita ſit) ex eiuſdem amotione, forma oppoſita, & habitus oppoſitus quandoque per naturam continuò exurgere conſpicitur. Vt ex non appoſitione, aut etiam ex remotione panniculi ab oculo (ſi aliquis appoſitus eſt) ſiue ex palpebrarum eleuatione, ſi depreſſæ ſunt, & lumen adſit, hominis excitatur illicò uiſio; & ex rubiginis non appoſitione, aut etiam ex appoſitæ abſterſione atque amotione, ferri nitor effulget. Ex opaci quippe non appoſitione, aut ſi aliquod interpoſitum eſt, ex eius amotione, ut ex feneſtræ aperitione, excitatur protinus illuminatio. Abſit impedimentum, aderit ſimiliter continuò diuina illa gratia, diuinumq; illud beneficium, quod pro ratione amotionis impedimenti adeſſe poterit; aderit, inquam, non quidem naturaliter ſed gratuito.

Si dicas. Apponere impedimentum (quod ut diximus,

ximus, peccatum eſt) hominis eſſe uideo; amouere illud cuius ſit non uideo, ſit ne hominis an Dei.

Reſpondebo. Quemadmodum amouere tenebras poſitiuè, hoc eſt per luminis infuſionē ſolius luminoſi radij eſt; priuatiuè autem feneſtrā aperientis, ut palpebras eleuantis. Ita Dei quidem eſt amouere poſitiuè, hoc eſt per appoſitionem cum præparantis tum iuſtificantis gratiæ: hominis uero priuatiuè, hoc eſt tum per non appoſitionem impedimenti, quod culpa eſt; tum per appoſiti amotionem, hoc eſt per non oppugnationem diuinæ præparanti gratiæ; quę, ut impedimētum quod in te eſt, amoueatur, cor tuū, & uoluntatem tuam ſatagit præparare. Non apponet Deus gratiam, ſi tu impedimentum appoſueris. Sed dices: non poſſum impedimentum amouere, ut palpebram eleuare, niſi præcipuo me Deus aliquo adiuuet auxilio. Tibi dicam. Si impedimenti remotio, ut palpebræ eleuatio, aut ad Solem conuerſio ſit ad meritum, non poterit abſque ope diuina hoc à te fieri; at ſi tantùm ad ſtudium fuerit, à te, ut à te, Dei generali auxilio, fieri poterit. Studeas impedimentum amouere diuino radio, & mereberis illuminari, & tanto amplius, quanto amplius ſtudebis. Quamobrem (ut B. Dionyſii quarto cap. de Diuinis nominibus exemplo, & docta atque appoſita ſimilitudine utamur) quemadmodum tantùm exuberantis luminoſitatis ſuæ in locum quēlibet Sol effundit; quantum pro impedimenti non appoſitione, aut ſi aliquod appoſitum eſt, pro eius remotione, locus ipſe, ut lucis recipiendæ magis aptus efficitur, ſic magis illuminatur: Ita tantum diuinæ gratiæ ſuæ, atq;

illuminationis, nobis, animabusq; noſtris Sol æternus. Deus demandat; quantum pro impedimenti, hoc eſt pro infidelitatis, proq; improborum actuum, & peccatorum noſtrorum, improbæq; noſtræ uoluntatis non appoſitione, aut (ſi quid tale appoſitum eſt) pro eius, per nos facta, ut poſſumus, amotione, & diuinæ beneficentiæ non oppugnatione demandare ille poteſt. Multo autem à Sole diſcrimine: quoniam lumen ſuum Sol ita demandat, ut illud naturaliter non demandare non poſsit. Deus autem ſuum liberè omnino, etſi neceſsitate iuſtæ miſericordiæ ſuæ, demandare non poſsit lumen ſuum obicem non apponenti: quam neceſsitatem S. Thomas neceſsitatem infallibilitatis appellat. Loco citato, hoc eſt quarto capite de Diuinis nominibus ad principium ſcriptũ ita reliquit Sanctiſs. ille, & doctiſs. Dionyſius.

Καὶ γὰρ ὥσπερ ὁ καθ᾽ ἡμᾶς ἥλιος οὐ λογιζόμενος ἢ προαιρούμενος ἀλλ᾽ αὐτῷ τῷ εἶναι φωτίζει πάντα τὰ μετέχειν τοῦ φωτὸς αὐτοῦ, κατὰ τὸν οἰκεῖον δυνάμενα λόγον: οὕτω δὴ καὶ τ᾽ ἀγαθὸν, ὑπὲρ ἥλιον, ὡς ὑπὲρ ἀμυδρὰν εἰκόνα τὸ ἐξῃρημένως ἀρχέτυπον αὐτῇ τῇ ὑπάρξει πᾶσιν τοῖς οὖσιν ἀναλόγως ἐφίησι τὰς τῆς ὅλης ἀγαθότητος ἀκτῖνας.

Hæc uerba ita in latinum uertit Marſilius. *Nam quemadmodum Sol hic nobis conſpicuus, nec cogitatione, nec electione, ſed eo ipſo, quod eſt, illuminat omnia; quæ pro modo ſuo participationem lucis admittunt: ſic & ipſum bonum, non aliter Solem ſuperans, quàm exemplar primum exilem excellenter antecellit imaginem; ipſa ſua exiſtentia, per ea, quæ ſunt, omnia pro ſua cuiusq; capacitate, bonitatis ſuæ radios abundè diffundit.* Quid autem per ipſum bonum intelligit Dionyſius, niſi Deum? Deus igitur per ea, quæ ſunt, omnia, pro

ſua cuiuſque capacitate, bonitatis ſuæ radios libere atque abundè diffundit. Neque te moueat uerbum illud [ipſa ſua exiſtentia] quaſi non liberè Deus, ſed naturaliter, per ea quæ ſunt, bonitatem ſuam effundat. Eſt enim ita Deo naturale libere benefacere, ſi beneficij capax aliquis fuerit; ut homini naturale eſt, libero uti arbitrio, quo non utitur niſi cum uult; ut dicere poſſimus, quòd liberè ita naturaliter effundat: ut homo libere naturaliter imperat. Aliquando ad Donatum ſcripſit etiam in hæc uerba B. Ciprianus; & eſt epiſtolà 2. libri ſecundi. *Noſtrum tantùm ſitiat pectus; & pateat; profluit largiter ſpiritus: quantumq́; fidei capacis afferimus: tantum gratiæ inundantis haurimus.* Quid eſt dictu [noſtrum tantùm pateat pectus] niſi uoluntas noſtra non aduerſetur, non obicem ponat, non reſiſtat diuinis beneficijs? Hoc igitur priuatiuo modo, nos ipſos diſponendo, impedimenta ad diuina beneficia nos non apponendo; appoſita pro uirili noſtra amouendo, capacitatem tantùm nos afferendo; quòd aliud bonis noſtris operibus afferre non poſſumus, gratiam ſuam tum præparantem, tum iuſtificantem nobis Deum, immenſa bonitate ſua, miſericorditer elargiri minimè negamus. At quis non intelligit; quòd cum, medijs noſtris eiuſmodi bonis operibus, quæ priuatiuè tantùm ad ſupernaturalia beneficia concurrant, gratiam illam, qua cor noſtrum ad pœnitentiam præparatur, aut illam qua etiam iuſtificatur, à Deo nobis donari dicimus; nos ſimul non donari illam ex bonis illis operibus noſtris, hoc eſt ex uirtute illorum operum tanquam ex cauſa aliqua poſitiua, aut meritoria; ſed

ex

ex ſola miſericordi diuina uoluntate, & liberalitate donari affirmamus. Sola quippe Dei miſericordia tanti doni poſitiua cauſa eſt uniuerſa. Nemo certe hominũ eſt, qui clare iſtud nõ intelligat; niſi quis forte ita nos deſipere exiſtimaret, ut afferre illum luminoſitati Solis aliquid arbitraremur, qui ab oculis noſtris opaci aliquid amoueret, aut opacum aliquod non apponeret, ex cuius amotione, aut non appoſitione, iam Solem ipſum inſpiceremus. Nihil Soli aut Solis luminoſitati attulit ille, aut afferre potuit; abſtulit tantùm ſua opera, non attulit. Abſtulit, inquam, non Soli, ſiue Solis radio & luminoſitati; (cui nec afferre ille, nec auferre aliquid poterat) ſed nobis ſiue oculis noſtris; illud ſanè, quod oculis noſtris Solis radiũ impediebat, quo ablato, Sol affuit. Illi nempe, qui diuinæ beneficentiæ non apponit impedimentum, aut appoſitum pro poſſe ſuo amouet, uel amouenti non aduerſatur, aliquo præcipuo & ſupernaturali beneficio adeſt Deus continuò. Ei ſanè, qui peccatum ſuum (quod unum tanti ſolis lumen retardat) ex animo pro ſuo poſſe deteſtatur, adeſt protinus ſuo aliquo lumine, & ſua aliqua gratia Deus, peccataque eius aufert uniuerſa: aut ſaltem (ſi minus tanti ille beneficij capax fuerit) ad ea auferenda peccatorem præparat. Suæ nempe gratiæ, & ſuæ beatificæ luminoſitatis tantum cuilibet præſtat, quantum ille, cum Dei ſuperaddito auxilio, ſe capacem exhibuit.

Gloria quomodo ex operibus noſtris proficiſcitur. Cap. 22.

GLoria, de qua ad Rom. cap. 4. ſcriptum eſt. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*, etſi (ut ex uerbis Apoſtoli manifeſtũ apparet) ex bonis operibus noſtris proficiſcitur; ex una tamen (quod iterum dico) ex una diuina gratia, ex unaque Dei beatifica beneficentia, non aũt ex bonis operibus noſtris, à Deo nobis donatur. Duo nanque de gloria dicimus, quæ ſibi inuicem opponi uidentur. Vnum quòd eſt ex operibus; Alterum, quòd tantùm ex gratia eſt; quod capite ſequenti demonſtrabitur. Eſt nempe beatitudo & gloria noſtra ex operibus noſtris bonis, non priuatiuo modo tantùm (ut ante de bonis operibus ad aſſequendam præparantem, uel iuſtificantem gratiam dictum eſt) ſed poſitiuo etiam modo ſumptis. Quippe poſt aſſequutam à nobis Dei largitate & miſericordia iuſtificantem gratiam, ex operibus noſtris, poſitiua aliqua ratione, ueluti noſtrorum operum mercedem, gloriam retribui nobis à Deo Opt. affirmamus, imò ipſa ſacra Scriptura affirmat. Apoc. cap. 22. legitur. *Ecce uenio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua*. Et in priore ad Cor. cap. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem*. Noſtris ſane operibus bonis poſitiue ſumptis, hoc eſt bene moratis, & à recta naturali ratione profectis, aſſequuto diuino illo (quod diximus)

ſuper-

ſupernaturali beneficio, hoc eſt aſſequuta iam atque adhibita diuina cooperante gratia, ex ui illorum operum (diuina poſita pactione, de qua lib. 5. Confeſſ. capi. 9. inquit S. Auguſt. *Dignaris Domine eis quibus omnia debita dimittis, etiam promiſſionibus tuis debitor fieri*) & de condigno, beatitudinem, & gloriam nos adipiſci demererique Sacroſanctæ literæ affirmant, atq; confirmant. Non enim illa, quæ nobis, & operibus noſtris per Dei miſericordiam ſuperuenit, & adhibetur iuſtificans gratia, facit, ut opera, quæ gratiam adhibitam ſequuntur, & quæ homo cum illa gratia operatur, noſtra non ſint. Cum Matth. cap. 5. dicat Dominus. *Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant opera ueſtra bona; & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt*. Illa quippe opera bona, & ita bona ut cœleſtem patrem glorificent, à nobis cum Dei gratia ſunt facta: quæ, Domini teſtimonio, noſtra dicuntur. Eiuſmodi nempe operibus bonis noſtris, non priuatiuè tantùm, quia impedimentum non apponunt, ſed poſitiuè etiam (ut diximus) ſumptis, hoc eſt qua talia ſunt, & qua cum coóperante diuina gratia à nobis facta ſunt, per diuinam miſericordem pactionem, & promiſſionem, gloria de condigno debetur; & gloriam nobis de condigno illa merentur; cum gloria ipſa noſtrorum operum debita merces ſit; quod loco citato affirmauit Apoſtolus inquiens. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. & Ierem. cap. 31. quando inquit. *Eſt merces operi tuo*. Cum retributio ſit. Luc. cap. 14. *Retribuetur tibi in reſurrectione iuſtorum*. Cum præmium ſit, Iob. cap. 4. *Præmium bonum theſaurizas*

riẓas tibi in die neceſsitatis. Cum ſtipendium ſit, & corona iuſtitiæ. In poſt: ad Timotheum cap.4. Apoſt. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex*. Et in collecta feriæ 5. maioris hebdomadæ precatur Eccleſia. *Vt ſicut in paſsione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter diuerſa utriſque* (latroni uidelicet, & Iudæ) *intulit ſtipendia meritorũ*, &c. Si gloria merces eſt, & retributio, & præmium, & corona iuſtitiæ, & ſtipendium operum, quomodo poſitiuè & ut de condigno meritoria ad gloriam non concurrunt? Illis nihilominus omnibus non obſtantibus, gloriam (quæ operum noſtrorum merces, retributio, præmium, corona iuſtitiæ, ſtipendiumq; dicta eſt) ex una diuina gratia, & ex una tantùm miſericordi Dei liberalitate largiri donarique nobis; non autem ex operibus noſtris prouenire, nos affirmamus: quod etiam facillime oſtendere hoc modo poſſumus.

Gloriam noſtram non eſſe ex noſtris operibus, ſed ex una diuina gratia. Cap. 23.

NOſtrarum bonarum operationum, hoc eſt earum, quæ à nobis, ut ex nobis, benemoratæ & rectæ naturali rationi conformes proficiſcuntur, uniuerſa uis, quam ad ſupernaturalia beneficia & in primis ad gloriam poſitiuam habere, ſuperiori capite diximus; & uniuerſum earundem meritum, propter quod nobis à Deo gloria, merces, præmium, atque ſtipendium, & debetur, & exhibetur, non eſt ex nobis, hoc eſt,

non eſt ex aliqua actionis noſtræ, qua noſtra eſt, poteſtate atque uirtute, uel merito; aut ex iuſtitia aliqua noſtra, quæ ſit ex nobis; & (ut uno uerbo dicam) ex aliqua ui humana, abacto procul quocunque præcipuo diuino adiutorio, omnino nō procedit, aut procedere poteſt. Sed ex Deo uno, & ex una diuina liberali miſericordiq; uoluntate, necnō ex una diuina nobis ſuperdonata, & nobiſcum cooperante gratia, proficiſcitur. Quoniam (ut ad Titum cap. 3. ait Apoſtolus) *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* & in poſter. ad Cor. cap. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Si non ſufficimus nos ex nobis aliquid cogitare; aliquid ex nobis nos operari ualebimus? Hoc loco pie lector, quæſo aduertas, quòd non meretur ab Apoſtolo appellari [aliquid] illud, quod bonum non eſt; hoc eſt illud, quod ad ſalutem noſtram, & ad æternam gloriam non proficiat, aut ad eam aliquo modo non dirigatur. Contra Iulianum lib. 4. cap. 1. inquit S. Auguſt. *Scito nos illud bonum hominum dicere, & illud opus bonum, per quod ſolum ad æternum Dei regnum homo perduci poteſt.* Eiuſmodi profecto aliquid, hoc eſt, opus quod ad æternam uitam conducat, nos ex nobis agere, aut etiam cogitare non ſufficimus; hoc eſt illud nos facere, illud nos cogitare ex nobis impoſſibile eſt. Ad principium libri de Prædeſt. D. Auguſt. dixit. *Nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, uel perficiendum quodcunque opus bonum; ſed in omni opere bono incipiendo, & perficiendo, ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ego autem, imò non ego, ſed Apo-

ſtolus ait, neminem non ſolùm ad incipiendum, aut perficiendum, ſed ad cogitandum opus bonum ſibi ſufficere. Opus bonum appellat illud ſolum B. Auguſtinus, quod ad æternam uitā uim aliquam habeat, quod Apoſtolus[aliquid] nominauit. Et lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 27. idem inquit. *Ita Deus ex cordibus hominum, atque in ipſo operatur arbitrio; ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſq; motus bonæ uoluntatis ex Deo ſit: quia per illum aliquid boni poſſumus; ſine quo nihil poſſumus.* Sanctam cogitationem, pium conſilium, bonam uoluntatem, illam S. Aug. appellat, quæ ad Deum dirigitur, & quæ cum Dei gratia eſt, & aliquid ad ſalutem operatur; ſine qua, quod meritorium ſit, operari poſſumus nihil.

Nullam quippe uires noſtræ (ut in prima ſecundæ quæſt. 109. art. 5. S. Thomas demonſtrauit) aut noſtri conatus, qua noſtri ſunt, ad beneficium aliquod, quamuis (ita dixerim) exiguum, modò ſupernaturale fuerit, nedum ad bonum tantum, quantum eſt iuſtificans gratia, ex qua meritum noſtrum ad gloriam uniuerſum emanat, proportionem habent; ſed ut habeant, & æternam uitam mereantur, neceſſarium eſt ſupernaturale aliquod auxilium, & diuina gratia.

Adde. Quòd illud præmium, & ſtipendium illud, quod gloria eſt; nec non illa, de qua loquimur, merces, & corona iuſtitiæ; quam nobis, & noſtris bonis cum di uina gratia patratis operibus debet, & ſuo tempore retribuit, aut retributurus eſt Dominus, meritum noſtrum uniuerſum excedit: nec utcumq; excedit; ſed ultra rationem omnem uirtu-

tis noſtrarum operationum; omnemq; meriti noſtri proportionem per immenſum excedit. Ad Abraham propterea (Gen.cap. 15.) ait Dominus. *Ego ero merces tua magna nimis*. Dixit ſe Dominus Abrahæ futurum eſſe mercedem, non qualemcunque, ſed magnam; non qualicunque modo magnam, ſed magnam nimis. Apoſtolus propterea ad Rom. cap. 8. ſcribẽs inquit. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*. Et in poſt.ad Corinth.cap.4. ait. *Illud quod in præſenti momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Et Dominus Matth. cap. 5. *Merces ueſtra copioſa eſt in cœlis*. Illud nanque beneficiũ, quod nobis ſupernaturale donatur, quod uires noſtras uniuerſas, & meritum noſtrum ſuperat; atque præmium illud, quod ex meritis noſtris emanare poteſt; uniuerſum, excedit quod nobis ſupra merita noſtra à Deo exhibetur, nonne inter gratuita dona merito numerabimus? Quamobrem B. Fulgentius, libro de Duplici prædeſtinatione inquit. *Futuræ quoque retributionis gloriam, quæ donabitur ſanctis, quis diuinæ gratiæ non eſſe concedat?* Et D. Auguſt. ad Sixtum presbyterum, & alibi dixit *Non coronare Deum opera noſtra, ſed dona ſua*. Et S. Vates pſ. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*. Igitur merita conticeſcant, & regnet gratia, per quam merita ſunt merita.

Colli-

Colligitur identitas utriuſq; opinionis. Cap. 24.

EX noſtris igitur bonis operibus, ſupernaturali adhibito auxilio, hoc eſt diuina gratum faciente gratia ſuperaddita, poſitiuè etiam ſumptis, & qua talia ſunt, tanquam ex aliquo condigno merito, atque tanquam ex aliqua cauſa; rurſum ex operibus noſtris bonis, priuatiuè ſumptis, hoc eſt diuinę beneficentiæ impedimentum non apponentibus, diuina gratum faciente gratia deſtitutis, tanquàm ex impedimenti non appoſitione, uel tanquam ex impedimentum amouenti nõ oppugnatione, & præparanti diuinæ gratiæ non reſiſtentia; necnon ſimul ex una diuina miſericordi uoluntate, uoluntatiſq; liberalitate, ex qua ſupernaturale auxilium & diuina gratia proficiſcitur, à qua merita noſtra ſunt merita, prædeſtinationem noſtram, ſiue ad gratiam; ſiue ad gloriam ab æterno prouenire, cum omni humilitate, amota omni pertinacia, affirmauimus; quod etiam (ut potuimus) demonſtrauimus. Quamobrem non ex una tantùm gratia, ſiue ex una tãtùm uoluntate diuina, omni uidelicet prorſus abacto noſtrorum, qua noſtra ſunt, operum intuitu, illa, quæ ad gratiam eſt, prædeſtinatio procedit; ſed ex æterno bonorum operum inſpectu & præſenſione, modo aliquo, hoc eſt modo (ut dictum eſt) priuatiuo) qui eſt, diuinæ beneficentiæ non ponere obicem; & ex diuina ſimul miſericordi uolũtate proficiſcitur. Neque ſimiliter ex bonis tantùm operibus

bus noſtris eam, quæ ad gloriam eſt, prædeſtinationem uenire aſſerimus; ſed ex illis,& ex ipſa ſimul Dei miſericordiſſima uoluntate & gratia; à qua condignum operum noſtrorum meritum uniuerſum emanat. Vtranque propterea prædeſtinationem; & ex gratia abſolutè, ut ex cauſa poſitiua uniuerſa; & ex operibus noſtris,ut ex cauſa aliqua, hoc eſt priuatiua proficiſci, quàm commodè, & quàm conſentaneè, & in primis quàm catholicè hactenus puto demonſtrauimus. Sequitur ergo, ut non duas eſſe opiniones illas, quæ duæ & diuerſæ, & aduerſæ uidebantur; quarum unà ex diuina tantùm miſericordia, altera ex bonis operibus noſtris prædeſtinationem noſtram proficiſci dicebat; ſed ambas unam eſſe, & eandem, facillime conuinci poſſit. Quæ & opera gratiæ, & gratiam operibus ad utranque prædeſtinationem quàm arctiſsimè, & quàm ſanctiſsimè coniunxit, atque complexa eſt.

Tria humanarum bonarum operationum genera.
Cap. 25.

HAnc ipſam rem ut adhuc explicemus clarius, ſciendum eſt, Tria (quantum ad rem attinet) humanarum bonarum operationum eſſe genera. Quædam nanque naturaliter, ſiue bonitate naturæ tantùm bonæ ſunt; quæ à recta (etſi per peccatum ſauciata) naturali ratione proficiſcuntur; quales ſunt, manducare & bibere, ſiue ad corporis, ſiue ad naturæ ſuſtentationẽ, non ad luxum; ueſtire, agrum colere, uineam plan-

tare,

tare, uxorem ducere, liberos procreare, & eiuſmodi aliæ operationes eiuſmodi, quia tãtùm naturaliter bonæ ſunt, ad prædeſtinationem quidem faciunt; ſed ea tantùm ratione, quà diuinæ miſericordi beneficẽtiæ, à qua emanat prædeſtinatio, nullum apponunt impedimentum, hoc eſt, ad eam priuatiuè faciunt.

Aliæ ſunt, quæ à recta naturali ratione benemoratæ procedunt; quæ & diuinæ largitati nullum impedimentum apponunt, & hominem præterea (quia nõ tantùm bonitate naturæ bonæ ſunt, ſed etiam bonitate moris) ad præparantem gratiam, ad ſanctam inſpirationem, ad aſſentiendum diuinæ uocationi, ad fidem ſuſcipiendam, & per eam, ad iuſtificantem gratiam, & ad gloriam denique aſſequendam, in diſpoſitione aliqua (ita dixerim) priuatiua conſtituunt. Eiuſmodi nanque operationes, quia & naturaliter & moraliter bonæ ſunt; quia Dei beneficentiæ non ſolum non apponunt ipſæ impedimentum, ſed illud etiam, quod ante appoſitum eſt, & quod in ipſo operante reperitur (quantum ex parte operantis fieri poteſt) amouere illæ conantur. Non enim amouent, Deus ſolus peccatum amouet, ſed amouere, ut poſſunt, nituntur, quatenus amouenti non reſiſtunt; & ad præparantem gratiam prius, deinde ad fidem atque ad iuſtificantem gratiam, quem poſſunt, aditum præparant; ueluti (ut quoquo modo res declaretur exemplo) rubiginis abſterſio ad nitorem ferrum præparat, & opaci remotio, ut feneſtræ aperitio, ad luminoſitatem cameram diſponit. Eiuſmodi operationes ſunt, ueluti peccantes corripere, corripientes audire, ueritati non aduerſari, præpoſitis ſuis,

ſuis, in ijs, quæ à recta naturali ratione minime aberrant, obtemperare, parentes honorare, indigentibus ſubuenire; Deum eſſe, & eius prouidentiam agnoſcere, & uenerari, non mechari, non occidere, non furari, male acta rettactare, & deteſtari, & (ut uno uerbo dicam) mores animi tui componere, & alteri facere, aut non facere, quod tibi ab altero fieri, aut non fieri uelis. Iſtæ nanque, & id genus aliæ, operationes, quæ pro ratione perſonæ quam ſuſtines, innumeræ ſunt; quæ in ipſis etiam gentilibus comperiuntur, ea ratione (ut diximus) ad prædeſtinationem faciunt; qua & diuinæ beneficentiæ non apponunt impedimentum, & præparanti diuinæ gratiæ, cor peccatoris emollienti, non obſtant; ſed per eam, ad fidem, & ad iuſtificantem ſubinde gratiam peccatoris animũ præparant. ¶Nõnullæ tertiò ſunt operationes, quæ non tantum à recta naturali, aut morali recta ratione præcedunt; ſed ab ea ſimul, & à cooperante diuina gratia proficiſcuntur, noſtra diuinam gratiam comitante, & ſubſequente uoluntate. Ab illa quidem quantum ad naturam, & ſubſtantiam actus; ab iſta uerò quantum ad eſſentiam meriti. Operationes nanq; eiuſcemodi, quæ bonæ ſunt bonitate naturæ, & bonitate moris, & bonitate gratiæ, ſiue meriti, ad gratiæ amplificationem, ad finalem perſeuerantiam, ad alios multos prædeſtinationis ſanctiſſimos effectus, quin etiam ad ipſam æternam uitam & gloriam, ut proxima diſpoſitio, & ut meritoria cauſa per ſe faciunt. Præueniente nanque Dei gratia, & bona uoluntate noſtra eam ſubſequente, illud, quod omnipotentis Dei donum eſt, fit meri-

tum

tum noſtrum, meritum autem prœmij cauſa eſt. Quod bene Paulus explicat. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, &c. Et, Plus illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. Ac ſi diceret. In bono opere, in quo gloriæ coronam merui, ego laboraui, & non ego. In eo enim quòd Domini dono præuentus ſum, non ego; in eo autem quòd donum uoluntate ſubſequutus ſum, & ego. Nullo alio ſanè modo quàm Dei gratia, & eidem cooperante uoluntate noſtra, mercedem tantam, quanta eſt iuſtificatio & gloria, adipiſci, mercariq; nos poſſumus. Gratiam nanque diuinam diuina gratia mercamur; ſicut pluuiam pluuia, & uaporem (exemplum in immenſum deficit) uapore natura producit. Diuina quippe beneficia à Moyſe ſunt pluuiæ comparata, cum dixit. *Expectetur ſicut pluuia eloquium meum*. Vapor à Sole ex imbre præcedenti excitatus, & in ſublimem aerem eleuatus, cauſa eſt pluuiæ ſequentis; hæc autem deſcendens in terram cauſa uaporis eſt. Sunt enim cauſæ (ut in auſcultationibus Phyſicis dixit Ariſtoteles) ſibi inuicem cauſæ. Ad ſimilem modum immenſa Dei miſericordia & gratia eius (qui ſecundum illud quod in ſe eſt, agit) opera (quia diuinæ beneficentiæ & præparanti gratiæ nihil obſtant) in cœlum eleuat, hoc eſt in anima peccatoris diſpoſitio ſimul & cauſa aliqua ſuæ prædeſtinationis fiunt. Ex qua prædeſtinatione, tanquam e cœlo pluuia, ſubſequens gratia in animam peccatoris deſcendit, quæ deſcendendo iuſtificationis, amplioris gratiæ, finalis perſeuerantiæ, & tandem immortalis gloriæ, in ipſo prædeſtinato, & in anima ante per gratiam in Deum ſuo modo ele-

uata, meritoria causa exiſtit. Sed ad opera noſtra redeamus. Ex operibus primi generis, quæ bona tantùm ſunt bonitate naturæ, tanquam ex diſpoſitione aliqua priuatiua (quæ aliud nihil eſt, quàm diuinæ beneficentiæ impedimentum non apponere) & tanquã ex cauſa ſine qua non, ſed admodum remota, prædeſtinationem uenire, cũ omni humilitate, affirmamus. Ad prædeſtinationem quippe noſtram, ex parte noſtra rectus naturalis rationis noſtræ, noſtriq; liberi arbitrij & uoluntatis uſus in diuina præſcientia omnino prærequiritur. Ex operibus ſecundi generis, quæ & naturæ, & moris bonitatem includunt, tanquam ex diſpoſitione aliqua priuatiua, ſed minus remota, & tanquam ex aliqua appoſiti impedimenti remotione, ſiue ex aliqua impedimentum remouenti non reſiſtentia, & tanquam ex cauſa ſine qua non, prædeſtinationem emanare, cum omni proteſtatione aſſerimus. Ex operibus tertij generis, quæ & naturæ, & moris & gratiæ bonitatem obtinent; & tanquam ex diſpoſitione, non priuatiua ſed poſitiua, & tanquam ex cauſa proxima, & per ſe, & meritoria (pactione diuina ſuppoſita) prædeſtinationem, hoc eſt, gratiam, gratiæq; amplificationem, finalem perſeuerantiam, gloriamque, cum omni peritiorum patrum conſenſu, prouenire affirmamus. Non qua ſecundum ſubſtantiam actus illæ à nobis operationes proficiſcuntur; ſed qua ſecundum Dei miſericordiam nobiſcum diuina gratia cooperatur. Ita nanque (ut paullo ante dictum eſt) in pri. ad Cor. cap. 15. ſcripſit Apoſtolus. *Abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Ex cunctis, quæ diximus, colligamus,

gamus, utramque opinionem & ueram eſſe, & unam & eandem eſſe; nec aliud ſimul iunctas nobis ſignificare uoluiſſe, quàm in ipſa prædeſtinatione opera gratiæ, & gratiam operibus eſſe coniungendam; ita tamen, ut actualis eius & poſitiua meritoria cauſa uniuerſa gratia ſit, haud opera, niſi ut cum gratia coniuncta illam ſubſequuntur. Quamobrem S. Grego. lib. primo Dialog. cap. 8. & gratiam operi noſtro, & opus noſtrum gratiæ in prædeſtinatione quàm aptiſſime coniunxit, cùm dixit. *Ipſa quoque perennis regni prædeſtinatio, ita eſt ab omnipotente Deo diſpoſita; ut ad hoc electi pro labore perueniant; quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſecula diſpoſuit donare.* Vtramque profectò opinionem non tantùm Apoſtolus cùm dixit, [*Laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*] Sed & B. Gregorius quando dixit [*Vt ad hoc electi pro labore perueniant; quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus diſpoſuit donare*] quàmbelliſſime connexerunt, atque unam, & alteram opinationem, eandem eſſe, non ſolùm apertè fermè dixerunt; ſed & modum præterea, quo ambæ una ſunt, non obſcurè admodum tradiderunt. Cum gratiam (ut dictum eſt) operibus, & opera gratiæ coniunxerint. Paulus cum dixit [laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecũ] opus gratię cõnectit; Gregorius cum inquit [ut ad hoc electi pro labore perueniant, & mereãtur accipere, quod eis Deus diſpoſuit donare] laborem, & meritum cum donatione, & donationem cum labore, ſiue gratiam cum operibus in prædeſtinatione cõſtrinxit. Quàm igitur non ſint duæ aduerſæ inuicem,

imò quàm duæ non ſint opiniones illæ; quarum una ex operibus, altera ex una diuina gratia & uoluntate prædeſtinationem aſſerit; ſed quàm ambæ (ſi utraque rectè, ut par eſt, intelligatur) ſint una, & eadem, perſpicuum ſatis, ritè, atque catholicè arbitror effecimus. Ea autem, quæ ſuperius cap. 18. ad unam, uel alteram opinionem aſtruendam, tanquam ſi mutuo illæ pugnarent, producta ſunt; ſibi quiſque uel ſoluere, uel interpretari facillime poterit. Admittendo quidem, ad diuina prædeſtinationis beneficia, nullam nos ex nobis, proprijs uidelicet uiribus, uim aut rationem, & proportionem aut meritum habere; ſed benè aliquam & non paruam cum diuina gratia; & eam, per diuinam gratiam. Negando autem rationem de acceptione perſonarum adductam. Acceptio nanque perſonarum apud Deum, locum aliquem (quod ſequenti capite fuſius declarabitur) in Eccleſia catholica nullo modo tenere poteſt; quoniam diuinæ æquitati pęnitus aduerſatur.

Non eſse perſonarum acceptorem Deum. Cap. 26.

EX ijs, quæ de prædeſtinatione ad gratiam, & de prædeſtinatione ad gloriam à nobis hactenus dicta ſunt, patere iam potuit; non eſſe in electione ſua, & in rationalium creaturarum prædeſtinatione, beneficiorumq; ſuorum largitione, perſonarum acceptorem Deũ. Deus etenim, etſi uoluntate, atque electione agit quicquid agit erga unumquemq; hominũ; nullo tamen (quantum

tum ad ſe attinet) perſonarum reſpectu, nulloque (quod ex B. Dionyſio in ſuperioribus explicauimus) perſonarum delectu, beneficia ſua impertitur; ſed omnibus hominibus, & ſingulis uberrimè benefacit: hoc eſt, tantum cuique hominum per electionem & pietatem ſuam tribuit beneficiorum ſuorum; quãtum hominum unuſquiſque, uel pro naturali bonitate propriæ uoluntatis, hoc eſt pro impedimenti non appoſitione, & pro appoſiti amotione per nos poſſibili; uel pro diuini beneficij appoſitione aliqua, capax exiſtit; non plus, non minus. Quippe ſi plus tribueret, nõ prodeſſet, ſed obeſſet; non ſecus quàm debili oculo nimium fulgorem Solis obeſſe experimur. Cuipiam autem obeſſe Deus, ſicut non uult, quia ſumme bonus eſt; ita (lib. de Diligendo Deo capite 2. inquit S. Auguſt.) non poteſt, quia omnipotentiſſimus eſt. Si minus, inuidus dici poſſet. At abſit, quæſo, à nobis tanta blaſphemia. Cunctos ſanè peccatis onuſtos ad ſe uocat Deus, excitatq; innumeris beneficijs diuerſimodè; ut depoſito tanto, ac tam funeſto onere, ad eum propius accedant. *Venite* inquit Dominus Matt. cap. 11. *ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam uos* [uenite] bona uoluntate [laboratis] in adinuentionibus & uanitatibus ueſtris [& onerati eſtis] pondere peccatorum [reficiam] hoc eſt iterum faciam, quia condam uos nouos homines. Et Prou. cap. 8. *Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat uocem ſuam, in ſummis, excelſisq́; uerticibus, ſupra uiam, in medijs ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus loquitur, &c.* Cunctos hortatur, & ubique locorum ad ſua beneficia capeſcenda

ſcéda, ad gratiam ſuam, & per hanc ad ſuam gloriam adipiſcendam, ille, *qui* (pſ. 102.) *quantum diſtat ortus ab occidente, tantum longe facit à nobis iniquitates noſtras; qui miſeretur timentium ſe, ut pater miſeretur filiorum ſuorum. Qui* (Ezechiell. cap. 18.) *non uult mortem peccatoris; ſed magis ut conuertatur, & uiuat. Qui* (in pr. ad Tim. cap. 2.) *uult omnes homines ſaluos fieri, & neminem uult perire.* Cunctos quippe Deus ad ſalutem homines, & ad felicitatem ſuam euehit, atque ſublimat: illis exceptis, qui ad propriam unũquemque ſalutem excitantis, atque incitantis uoci non obediunt; qui diuinæ largitati magnificæ, qui Dei munificentiæ beatificæ impedimentum uel apponunt, uel appoſitum, pro uirili ſua, modo, quo in ſuperioribus abundè dictum eſt, non auferunt, aut auferre uolenti non obtemperant, ſed reſiſtunt. Illi profecto, ſi diuina ſupernaturalia beneficia, hoc eſt ſi præparantem gratiam, ſi fidem, ſi iuſtificationem, ſi in bono opere ad finem uſque perſeuerantiam, ſi ſummam denique beatitudinem, & gloriam non obtinent, & non aſſequuntur; non Deo patri omnium miſericordiſsimo, & liberaliſsimo (quantum in ipſo eſt) bonorum omnium largitori; ſed ſibiipſis imputandum eſſe cognoſcant. Quoniam aures ſuas uocati non aperiunt; & diuina illis oblata beneficia, ſanctas uidelicet inſpirationes, uocationem, fidem, gratiam, & gloriam, improbis deſiderijs ſuis, & obliquis uoluntatibus, uaniſq; uoluptatibus ſuis ipſi negligunt, reſpuunt, abiiciunt. Illa nanque Dei dona, ut in nobis recipiantur, aliquid (ut dictum eſt) in nobis requirunt: illud uidelicet in

primis

primis ne aliquem eis per improbitatem noſtram, & per culpam, nos obicem apponamus. Cùm enim culpam apponimus, aut appoſitam pro uirili noſtra, per bene moratas, & rectæ naturali nobis inditæ rationi conformes (operationes, quibus præparanti gratiæ, quæ cor noſtrum emolliat, aditum præparemus) non auferimus; hoc eſt, oblatæ gratiæ non obſtare minus ſtudemus; gratiam Dei contemnimus; quam & habere, & perpetuam habere poteramus. Gratia quippe ultrò ſe nobis offert, ultrò nos præuenit, ultrò ad nos uenit, nobiſcum ultrò hoſpitatur, modo hoſpitium ingredi poſsit. Stat ad oſtium cordis noſtri Deus; pulſat, ut illi aperiamus: qui, ſi illi aperuerimus, ad nos auidè ingreditur: ſtat nobiſcũ quàmlibentisſime; qui, ſi quandoque recedat, inuitus recedit. *Semper* (inquit B. Auguſt.) *gratia inuita recedit*. Eccleſ. cap. 15. ſcriptum eſt. *Non dicant, per Deum abeſt. Quæ enim odit Deus, ne fecerint.* Et Apoc. cap. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum* [ſto ad oſtium] per creationem & conſeruationem [pulſo] per inſpirationem & prædicationem [ſi quis aperuerit] per impedimenti non appoſitionem, aut per nobis poſſibilem appoſiti remotionem [intrabo ad illum] per gratiam [& cœnabo cum illo] per gratiæ augmentũ & perſeuerantiam [& ipſe mecum] per gloriam. Vtrũ autem tu ſis auditurus uocem ſuam, & tui cordis ianuam ſis illi aperiturus; & utrum, quæ odit Deus, ſis aſpernaturus, in æternitate ſua uidit iam Deus: cui cuncta ab æterno nuda ſunt, atque conſpicua, & pro

tui

tui operis ratione miſericorditer prædeſtinauit te Deus,aut reprobauit;ut perſonarum acceptorem dicere illum minime omnium ualeamus. Merita nanque noſtra poſthabentur à Deo nequaquam. In perſonarum autem acceptione (quod alibi declarauimus) poſthaberi merita neceſſarium eſt.

In nobis eſt, non ponere impedimentum diuinæ gratiæ. Cap. 27.

VT autem diuinæ largitati miſericordisſimæ, & diuinæ præparanti gratiæ, necnon ſupernaturalibus aliis diuinis, & Sanctisſimis beneficiis,ac muneribus impedimẽtũ nullum nos afferamus, hoc inquã (non quidẽ ad meritum, ſed tantùm ad ſtudium) ut agamus, in naturali noſtra ſitum eſt poteſtate. Alioquin impedimentum apponentes (non apponimus autem niſi peccando) non apponeremus, quia non peccaremus; Non enim non apponere & non peccare poſſemus. *Vſqueadeo nanque*, ait lib. de Vera relig. cap. 14. Auguſt. *peccatum uoluntarium eſt malum; ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit uoluntarium.*

Adde. Quòd inquiat Moyſes Deut. capite 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt: nec procul poſitum: nec in cælo ſitum: ut poßis dicere. Quis noſtrum ualet ad cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos: ut audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum: ut cauſeris, & dicas. Quis ex nobis poterit transfetare mare: & illud ad nos uſque deferre: ut poßimus audire, & facere: quod præceptum eſt?*

eſt? Sed iuxta te eſt ſermo ualdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. His uerbis in noſtra naturali poteſtate poſitam eſſe mandatorum decalogi obſeruationem ad ſtudium, ſi non ad meritum; ad timorem pœnæ (ut in lib. de Decem chordis copioſe ſatis oſtẽdit S. Auguſtinus) ſi non ad amorem iuſtitiæ; ſecundum ueterem hominem, ſi non ſecundum nouum, propheta ſignificauit. Quoniam ſi non in noſtra, ſed in aliena, ut Angeli, aut hominis alterius eſſet poteſtate & arbitrio; uel etiam ſi præcipuo aliquo ſupernaturali nobis opus eſſet Dei auxilio; aut in cœlum certè nobis aſcendendum eſſet, hoc eſt præcipuum aliquod à Deo, aut ab Angelo auxilium implorandum; ſi uel ad ſtudium tantùm, uel quouis alio modo, citra meritum, obſeruare illa uellemus: aut mare transfretandum, hoc eſt alterius hominis opera eſſet imploranda. Quod non ſolum Moyſes negat; ſed addit etiam [Iuxta te eſt ſermo ualde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum] Quid eſt dictu [iuxta te eſt ſermo] niſi iuxta poteſtatem tuam ſunt illa mandata, de quibus loquebatur? Non contentus dixiſſe [iuxta te eſt ſermo] addidit [ualde] ut quàm in noſtra illa ſint poteſtate, oſtenderet: quo ad ſtudium uelim ſemper intelligas, non quo ad meritum. In ijs enim, quæ ritè ad Deum pertinent; ſine Deo, uiribus ſuis uniuerſis nihil homo poteſt ad meritum. Mandata quippe illa ſeruare, de quibus eo in loco Moyſes loquitur; quæ omnia in illo uno (ut lib. de decem chordis dixit S. Auguſt.) continentur. *Quod tibi fieri non uis, alij ne feceris*. Quod mentis noſtræ intelligentiæ, quod naturæ noſtræ uiribus maximè conforme eſt,

non ſolùm eſt diuinæ gratiæ impedimentum non afferre; ſed appoſitum etiam pro uirili noſtra amouere eſt; hoc eſt, eſt gratiæ præparanti, quæ cunctis eſt obuia, non reſiſtere; ſanctasq; inſpirationes non abijcere; hoc inquam, eſt appoſitum impedimentum amouere priuatiua (niſi ſimul adſit diuina gratia) aliqua ratione, non poſitiua, ut dictum eſt in ſuperioribus. Quod ut faceres, & impedimentum diuinæ gratiæ non apponeres; ſed illa mandata naturali rectæ rationi quàm cõgrua cuſtodires; ut uel hoc modo, ſi impedimentũ aliquod eſt appoſitum, pro uirili tua amoueres; non te abſque ratione effrænem beluam, ſed te hominem Deus fecit; hoc eſt animal intellectu atque ratione præditum; quorſum, niſi ut cum ratione uiueres; & cũ ratione in terris inter homines uerſareris; cunctaque, quæ tibi agenda erant, cum ratione ageres? Si igitur egeris tu ſecundum illud, quod in te ex naturæ conſtitutione eſt, ideſt ſecundum naturalem (ut hominem decet) rectam tibi inditam rationem, atque ſanam intelligentiam; mandata illa Dei, de quibus illo loco Moyſes, amore tui ſaltem, ſi minus amore Dei, ſeruabis; amore inquam tui, hoc eſt ne rationem, quæ in te eſt, & quæ ſupremum in te obtinet locum, à qua homo dictus es, deturpes; aut ne te ipſum in beluam uertas; & ne te ipſum, euerſa ratione, corrumpas. Quæ quidem mandata, ut rectè naturali nobis inditæ rationi conformia ſunt; ita uim naturalis rationis, ſiue uim humanam, quantum ad literæ corticem, & ut ſæpius dixi, quantum ad ſtudium, & ad amorem tui, uel etiam ſeculi, minime excedunt. Ad ſtudium igitur ſaltem,

tem, & ad literam (ſi non ad meritum, hoc eſt ſi non ad amorem Dei, & ad illius literæ ſpiritum) ſeruare illa poteris, tuis uiribus. Et nullum ita ſeruando ſaluti tuæ afferes impedimentum: imò, ſi aliquod appoſitum eſt, auferes aliquo modo, ſi ſuperuenienti diuinæ inſpirationi & gratiæ admonenti, ut Dei amore illa ſerues, non obſtiteris. Quamobrem notabis diligenter, quòd ſecundum rectam naturalem rationem agere, & mandata illa ad ſtudium per uires tuas ſeruare (Mandata nanque decalogi, patrum cõſenſu, naturæ uires, ut dictum eſt, non excedunt. Sunt enim, ut Ver. quæſt. 14. art. 2. affirmat S. Doctor, de ijs, quæ naturalis ratio dictat) ad ſalutem tuam tibi abſolutè non ſufficit; ſed aliquo modo, hoc eſt quantum in te eſt, tibi ſufficit. Si enim aliquid præterea tibi ad ſalutem tuam neceſſarium eſt, ut eſt re uera, & inter alia, mandatorum illorum ſpiritualis quędam, & ad meritum obſeruantia; de qua ad adoloſcentem Matth. cap. 19. ait Dominus. *Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata.* Et ſpiritualis quædam implicitè ſaltẽ eorundem intelligentia: quam Apoſt. ad Rom. cap. 10. opportunè ſatis inſinuauit, cùm dixit. *Finis legis Chriſtus* (Ad quàm mandatorum obſeruationem, & intelligentiam uires tuæ non ſufficiunt, ſine præcipua ope diuina) quoniam nullum in te tandem aduerſus illud, quod ad ſalutem tuam tibi neceſſarium eſt (ſi ita agere perſeueraueris) impedimẽtum reperietur; miſericordi ſua liberalitate, illud etiam, quod tibi deeſt, quod ad ſalutem tuam tibi neceſſarium eſt, tibi Deus quàm ultroneè, pro tui captus ratione, quamque liberaliter exhibebit.

præparantem primùm gratiam, mox præuenientem, atque iuſtitiam, pro tui ipſius capacitate. Non ſecus quàm non apponendo, aut appoſitum remouendo impedimentum tantum luminis domui Sol exhibebit, quantum domus ipſa luminoſitatis capax effecta fuerit. Quanta igitur interea ſpeculatrix ratio illa, quæ tibi naturalis eſt, cognoſcere; & quàm recta atque quàm egregia opera effectrix ratio tua naturaliter agere; aut ſaltem tibi dictare, & uoluntas tua imperare, uiresque natura tua ſuppeditari poteſt; tanta, atque tam recta & egregia tu, naturalibus uiribus tuis, toto tuo conatu, & intelligere, & tibi imperare, & agere experiaris.

Humanæ rationis præſtantia naturalis quo ad Theoriam. Cap. 28.

VIs ſcire, quantum ſuapte natura, nullo ſupernaturali præcipuo præſidio fulta in cognitione ſua præſtat humana recta ratio, ſiue rectus rationalis humanus animus, ut inde quanta, quàm recta, & quàm egregia opera rectè operari tu homo ex te (nõ abacto generali diuino ſubſidio) naturaliter poſſis, intelligas? ampla percurre nobiliſsimorum philoſophantium illorũ commentaria; qui unius rectæ naturalis rationis ductu, nullo ſupernaturali præcipuo adiutorio fulti, Deum (quantum eis poſſibile fuerat) cognouerunt; & illum unum, & ſine principio & ſine fine æternum eſse dixerunt; & ſuper ea, quæ ſunt, fuerunt, & erunt omnia, illum extulerunt; omnibusq; rebus imminere il-

lum,

lum, atque præſidere cognouerunt; rerum omnium quid optimum illum eſſe, & ab eo, ut ab optimo rerum cunctarum & perenni fonte, uniuerſam rerum omnium eſſentiam & bonitatem emanare aſſeruerunt: primam quoque rerum omnium cauſam illum eſſe dixerunt; & in quemlibet effectum, quem cauſæ cæteræ omnes producunt, pluſquàm ipſæ faciant, influere illũ affirmauerunt; ad eũq; omnia & ſingula, quæ in rerum uniuerſitate conſiſtunt, naturaliter tendere tradiderunt; & propter eum omnia agere, quęcunque ſecundum naturam agunt, affirmauerunt; necnon ab eodem tandem eſſe, ſeruari, & pendere ita cuncta intellexerunt; ut à Sole eſt, ſeruatur, & dependet illuminati aeris claritas: quæ quidem aeris claritas, & luminoſitas Sole præſente eſt, eo autem abeunte non eſt; ſed abeſt illicò, & euaneſcit. Vt, ſi per impoſſibile Deus ipſe non eſſet; aliquid eorum, quæ in mundo ſunt, imò mundus ipſe eſſe omnino non poſſet; hoc eſt, nihil omnino eſſet. Tolle Deum, cuncta ruunt. Hæc omnia (inquam) ex ijs, quæ condita ſunt, ex conditarumque rerum cauſis recta naturalis humana ratio uenari potuit; & (ut in eorum monimentis latiſſimè patet) iam uenata eſt. Hoc eſt, quod ad Rom.cap.1. ſcripſit Apoſtolus. *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis reuelauit*. Ad quem modum autem illis Deus reuelauerit, ſubdit inquiens. *Inuiſibilia enim Dei, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoq; eius uirtus, & diuinitas*. Præclariores profectò cuncta illa, quæ de Deo dicta ſunt, gentiles Philoſophi, ex illis, quæ facta ſunt per ſolam

natura-

naturalem rationem, nullo ſupernaturali præcipuo ſubſidio adiuti, uenati fuerunt: atque uniuerſa fusè ſatis, & doctè ſcripta nobis reliquerunt. *Inuiſibilia* nanque ex Apoſtolo, *Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius uirtus, & diuinitas*. Et S. Vates pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, &c.

Humanæ rationis præſtantia naturalis quo ad Praxim. Cap. 29.

QVoniam de ipſo Deo Opt. Max. ea, quæ ſuperiori capite dicta ſunt, humana ratio ue nata eſt, & grauiores illa omnia nobis Phi loſophi tradiderunt; necnon ſummum bo num Deum eſſe, maximamq́; eius, & præcipuam erga homines uniuerſos beneficentiam agnouerunt; dilexerunt propterea illum naturaliter præ ſe ipſis nō ſolum ſummi illi uiri philoſophi, ſed homines etiam fermè uniuerſi, amore ſcilicet ſummo: atque pro acceptis tantis beneficijs (quidquid fermè haberent, ut ex eorum monumētis facillimè colligi poteſt, Deo acceptum ferebant) pro diuinæ naturæ amplitudine, atque excellentia, illum maximis, auguſtiſſimisq́;, ac diuinis honoribus proſequuti ſunt; hoc eſt latriæ cultu illum excoluerunt.

Hominem inſuper non ad uitium, ſed ad uirtutē, recto naturalis intelligentiæ ratiocinio, eſſe natum intellexerunt. Virtutem autem (de morali loquimur) in hominis poteſtate eſſe poſitam perceperunt;

po ſſeq;

poſſeq; hominem ſua ſpōtè ad alterutrum, hoc eſt ad uirtutem, aut ad uitium flecti, dixerunt: quod etiam irrefragabilibus rationibus probauerunt. Verumenimuerò ſi ad uitia hominum quiſpiam deflectatur, turpè, & infeliciter, & præter, aut etiam contra naturam, hominem illum, qui ita deflectitur, uiuere affirmauerunt. Eſt enim uitium omne præter naturam. Contrà ſi ad uirtutem conuertatur, & cũ uirtute uiuat, cum laude, & fœliciter, & ſecundum naturam uiuere illum dixerunt. Eſt enim uirtus omnis, qua uirtus eſt, ſecundum naturam. Hæc omnia illi, naturali tantùm lumine ducti, exactisſimè perceperunt; copioſeque nobis omnia tradiderunt. Vitam præterea illam ſolam, quæ cum uirtute eſt (moraliter loquendo, & naturaliter) ueram uitam exiſtimauerunt; & quidem non prorſus ineptè. Rectè nanque (naturaliter ſemper loquendo) tàm corporis, quàm animæ naturalibus uiribus ſuis, hoc eſt robore, ſenſu, uoluntate, & ratione, temporibus omnibus (pro naturalis humanæ uitæ conditione) utuntur illi, qui cũ uirtute, & cum caſtis, hoc eſt cũ humanę naturæ congruis moribus, & breuiter cũ recta naturaliter indita ratione ſemper uiuunt. Leuia nanq; peccata, ſine quibus diu uiuere homo non poteſt, naturalis rationis rectitudinem nō tollunt; imò ne quidem ſenſibiliter imminuunt; grauia autem, & facinoroſa crimina iſti euitant, non abſque forſitan difficultate non parua, ex primi parentis peccato; uitant tamen, ſi impenſe illa euitare uoluerint.

Amicitiam etiam inter homines uniuerſos (quantum in ipſis eſt) atque æquitatem illi cuſtodiunt.

Deum

Deum atque eius legem, quam non ſolum in lapideis tabulis digito ſuo ipſe Deus inſculpſit (quæ ut dicunt patres, naturæ uim non excedit; & tota in naturali quodam Dei cultu, & proximi dilectione conſiſtit) ſed humano etiam generi uniuerſo, rationaliq; hominum menti Deus ex creatione inſeruit: quæ homini quoque ſecundum naturam uiuenti, qui animal admodum ſociabile eſt, maximè naturalis eſt; legem, inquam, à Deo traditam ſiue in lapidibus, ſiue in animis hominum, colunt, ſummeque reuerenter; cum non niſi Dei (ut dictum eſt) & proximi dilectionem ſpiret uniuerſa. Quod ad Rom. cap. 13. affirmaſſe etiam uidetur Apoſtolus cum inquit. *Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, etſi quod aliud eſt mandatum in hoc uerbo inſtauratur, diliges proximũ tuũ* &c. Et ad Gal. cap. 5. *Omnis lex in uno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Hæc duo profectò, quæ uniuerſam legem duabus tabulis inſculptam, uniuerſaq; legis mandata complexa ſunt, religio uidelicet erga Deum, & amicitia, ſiue æquitas inter homines, atque ſyncera beneuolentia; maxima quædam uincula ſunt, quibus non tantùm homines, tum inter ſe, tum cum ipſo Deo, ſed orbis etiam uniuerſi uniuerſas partes ſeruat inuicem colligatas natura, & princeps naturæ Deus. Cunctæ nanque creatæ res, dixerunt S. Grego. & Auguſt. Deum aliquo modo agnoſcunt & reuerentur. Religio quippe, & beneuolentia, cum ad multorum aliorum commodum & utilitatem, tum ad hominem in

primis

primis in officio naturalis charitatis retinendum, & ad eius præſtantiam, & dignitatem maximè faciunt.

Quod ad orbis terrarum uniuerſi integritatem, conſeruationem, amplificationem, & ornamentum conducit præcipuè. Cum homo ipſe ſit omnium, quæ in orbe terrarum uniuerſo exiſtant, quid præſtantiſſimum. Homo nanque ſecundum Ariſtotelem lib. ſecundo Phyſicæ auſcultationis, & ſecundum præclariores Phyſicos alibi, mundi quodammodo finis eſt. Secundum D. Ambroſium ad Herennium, eſt totius naturæ finis, uertex, ac princeps. Secundum D.Grego. Nazianz. Rex quidam maximus eſt; Regiam cuius mundum Deus eſſe uoluit. Poſt alia propterea (ut ad principium lib. Gen. ſcriptum eſt) à Deo creatus eſt: ut alijs rebus cunctis præmiſſis, ueluti præmiſſo maximo ſatellitio, in hunc mundum illuſtri apparatu, & regia quadam pompa, tanquam mundi princeps perduceretur.

Vniuerſa igitur homini à Deo donata, ſiue connata, ſiue non connata, ſed extrinſecus deſuper Dei beneficentia & largitate attributa beneficia, illi, qui perpenderint diligentius; ex ipſa naturæ inſtitutione (ſi minus præcipua aliqua Dei illuminatione) & æquitatem inter homines diligentiſſimè cuſtodient; & Deum ſupra ſe amabunt; ac ſummos eidem honores; hoc eſt latriæ (ut poterunt) cultum, ſumma animi propenſione, ſummaque ueneratione exhibebunt. Quamobrem in Protagara dixit Plato, quod homines antequàm congregarentur, aut artes aliquas exercerent, aut etiam loquerentur; ſtatim ab initio, naturali inſtitutione, Deum adorauerunt;

araſque ei & ſtatuas extruxerunt, & ſacra fecerunt. Quam rem ſacræ literæ, ad principium lib. Gen. capite 4. in Caino, & Abele primis poſt Adam hominibus, multò apertius multoque uerius expreſſerunt: etſi non ſine præcipua aliqua illuminatione hoc ipſum iſti fecerunt.

Homo benè naturaliter operari, & ſupra ſe Deum naturaliter amare, poteſt. Cap. 30.

NOn igitur (ſi ea, quæ de hominis præſtantia diximus, uera ſunt, ut puto cum omni humilitate eſſe ueriſſima) audiendi ſunt patres illi, & ſi pij ſunt, atque catholici; qui uel benè, recteque naturaliter, ſiue moraliter operandi, ſolo generali diuino influxu permanente, uim homini adimunt uniuerſam; uel ſupra nos, ſola naturæ institutione, ſaltem ad ſtudium, à nobis Deum amari non poſſe, omnino arbitrantur: Sed ad iſta, & ad alia moralium uirtutum opera uniuerſa præcipuum aliquod ipſi homini, & ſupernaturale ſubſidium requiri, obſtinatè contendunt. Hos quidem poſteriores (qui, ſupra noſipſos Deum naturaliter amare poſſe nos, denegant) arguit amor ille, quo, & patriam ciuis bonus, & patrem bonus, filius & contrà, filium bonus pater proſequitur; atque perpetuò proſequutus eſt. Cum pro patre filium, pro filio patrem, & pro patria ciuem, naturæ impetu quodam, formidandæ mortis pericula, & contemnere inſpiciamus, & perpetuis retro temporibus contempſiſſe, atque eorum ſalutem ſaluti propriæ antepo-

ſuiſſe,

ſuiſſe, legamus. De ciue autem, & de filio, atque de patre multò minus pater, filius, & patria, quàm de uniuerſis & ſingulis hominibus, Deus (quorum nihilominus, & pater & patria eſt) benemerita ſunt. Illos uerò priores (qui hominem ex ſe benè naturaliter operari non poſſe ſunt arbitrati) pudeat, hominem animal animalium omnium præſtantiſſimum, imperfectioris, quàm aliud quoduis animal proiectiſſimum, ignobiliorisque facere conditionis. Faciunt autem abſque dubitatione illi; cum id uni homini pernegant: quod non ſolùm cæteris animantibus omnibus, ſed ipſis etiam inanimatis rebus, atque uiliſsimis elementis omnibus à natura tributum eſt. Quippè omnia, & ſingula, generali influxu ſeruato, pro naturæ ſuæ ratione, aliquid agunt; quod in plantis, & in irrationalibus animalibus cunctis uel ad oculum manifeſtisſimum eſt; uidemus etiam nonnulla elementa, rerum omnium quæ in mundo ſunt imperfectisſima, ſua ſponte ac natura deorſum ferri, alia ſurſum; homo autem, ſecundum naturam ſuam, ſolus, generali tantùm diuino influxu ſuffultus, nihil operari poterit? quando non ſolùm aliquid operari, & agere; ſed etiam præſtantisſimum aliquid agere, & operari, naturali rectæ rationi quàm conſentaneum prorſus exiſtat.

Sunt qui dicant, non poſſe ſine præcipuo Dei adiutorio bene moraliter hominem operari, perfectionis eſſe in homine, & nobilitatis, non autem imperfectionis.

Sed amabò, quæ perfectio in hoīe eſt, aut eſſe pōt, priuari illū omni recta naturali propria operatione?

Adde. Si benè homo naturaliter & ex ſe operari non poteſt; nec malè utique ex ſe naturaliter poterit operari. Oppoſita nanque (iuxta communem & patrum, & philoſophantium omnium ſententiam) ſi ambo peregrina fuerint; & eorum neutrum ſubiecto ſuo naturale extiterit; circa idem ſubiectum fieri contingunt: ut in quo unum fieri non poſſit; nec alterum in eo fieri poterit. At quàm abſurdum eſt dicere, ex ſe malè hominem operari non poſſe?

Adde tertiò. Poſſunt (quod libro de ſpiritu & litera cap. 28. affirmauit B. Auguſtinus) impijsſimi homines bona aliqua agere. *Sine quibus* (inquit ille ſanctiſs. doctor) *bonis operibus, difficillime uita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur*. homines autem, qui impij non ſunt, & feri; ſed humani & rationabiles benè ex ſe aliquid naturaliter operari non poterunt? Num diuino ſpeciali adiutorio, bona illa agere homines illos dicemus, qui peſſimi, & impijsſimi ſunt? & non potius quadam naturæ neceſſitate?

Quarto. Addimus, quòd libro tertio Ypogn. & lib. 22. de Ciuitate cap. 24. & alibi ſæpius, innumera opera bona, quæ, ſolo generali influxu diuino ſuffultus, agere poteſt ex ſe naturaliter homo, nulla de præcipuo aliquo Dei auxilio mentione facta, idem S. Auguſtinus commemorat.

Antiqui

Antiqui probatiores philoſophi, an prædeſtinati. Cap. 31.

QVamuis opus moraliter, & naturaliter bonum (quod ad prędeſtinationem noſtram, quoquo modo, hoc eſt non poſitiuè, ſed priuatiuè tantùm aliquid facere, in ſuperioribus diximus) nos ex nobis hoc eſt nullo præcipuo ſupernaturali ſubſidio fulti (quod præcedenti capite luculenter ſatis pro compendij breuitate oſtēſum eſt) facere poſſumus. Quod opus idcirco opus bonum appellauimus; tum quia in ſe bonitatis nonnihil contineat (cùm naturali rectæ rationi, quæ bona ſemper eſt, aptisſimè conueniat) tum multo magis, quia diuinæ beneficentiæ, præparantique, atque iuſtificanti gratiæ, & charitati nullum obicem ponit, nihilq; ei aduerſatur. Non tamen probatiores antiquos Philoſophos, Pythagoram, Anaxagoram, Parmenidem, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, & alios multos, quia benè naturaliter, hoc eſt ſecundum rectam naturalem rationem uixiſſe, & rectè naturaliter uiuendi præcepta minus contemnenda copioſius tradidiſſe, illi dicuntur; à Deo propterea prædeſtinatos, & ſalutem conſequutos eos fuiſſe, definitè affirmabimus. Quoniam cum per alia multa uitia alij (præter communem omnibus originalem culpam) tum per ſuperbiam elati philoſophantium quamplurimi, prædeſtinationi ſuæ impedimentum maximum appoſuerunt. Fuit enim (ut alibi demonſtrauit Boetius) antiquis philoſophis commune uitium,

tium, ſuperbia. Putarunt nanque ferè omnes ſuo ſibi ſtudio uirtutes ſuas comparaſſe; quibus cæteris hominibus ſeipſos præferebant, illosq; contemnebant. At inquit D. Grego. in Moralibus. *Qui accepta dona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat.* Et paucis interpoſitis. *Qui Dei dona percipit, & de acceptis extollitur, cuncta, quæ acceperat, amittit.* Quamobrem diuinæ gratiæ, ac ſaluti ſuæ impedimenta appoſuerunt maxima; & poſita modo aliquo remouere, aut diuinæ aſsiſtenti gratiæ aditum aliquem præparare, non ſtuduerunt. quin eidem potius grauiter obſtiterunt. *Quoniam* (ut ad Roma. cap. 1. ſcribit Apoſtolus) *cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum illum glorificauerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Si qui tamen uerè philoſophati fuerunt; & ueras rerum cauſas (quantum humana ratio patitur) perceperunt; illam in primis, à qua & in operando, & in eſſendo cęteræ cauſæ dependent; necnon ueri Dei, (ut eis posſibile fuit) cultores pij extiterunt; & pro uirili ſua moribus caſti uitam ſuam honeſtis naturæ legibus coegerunt; ijs ſalutem non eſſe negandam, aliquot ſancti Patres, & inter alios duo præſtantisſimi Theologi ſimul, & Philoſophi Clemens Alexandr. lib. Stromatum Sexto, & Iuſtinus cognomento Philoſophus, & martyr in utraque pro Chriſtianis apologia, ſanxerunt. Chriſtum enim quoquo modo eos per philoſophiam, ut patres ueteris teſtamenti per legem traditam agnouiſſe, affirmauerunt; & per congrua media, quæcunque illa fuerint, Deo diſponente deducti ſunt ad fidem, Dei ſupernaturale do-

num,

num, & ad gratiam; quæ cunctis (ut in ſuperioribus dictum fuit) ut ad ſalutem neceſſaria eſt, ita per diuinam miſericordem beneficentiam, obicem illi non ponentibus, à Deo tribuitur, ſalui facti ſunt.

Ad ſalutem ſuam ſufficit homini (quantum in homine eſt) agere, quod in ſe eſt. Cap. 32.

ADde. Illud, quod in ipſis erat, tum in Deo colendo, tum in homine amando, tum in propria uitia deteſtando, feciſſe illos probatiores philoſophos, non ab ratione (cũ probatos illos eſſe philoſophos ſuppoſuerimus) exiſtimare debemus. De innocentia Platonis, Socratis, Parmenidis, Thaletis, Apollonij Thianei, & aliorum quorundam (ut eorum interea in homines beneuolentiam mittamus) admiranda hiſtorici tradiderunt. Agere autem quod in ſe eſt, homini (quantum in homine eſt) ad prædeſtinationem, ad gratiam, ad omne ſupernaturale beneficium, & ad ſalutem denique ſuam ſufficere, & diximus antè (cum plus, ex ſe agere naturaliter ille non poſſit) & cum omni proteſtatione, & humilitate, denuo repetimus. Ita nanque agendo, hoc eſt Deum colendo, proximum amando, peccata ſua deteſtando, & in ſumma ſecundum rectam naturalem rationem uiuendo, peccato, ſi non omni (Nam ſine ueniali peccato diù præſens uita nõ ducitur) mortali ſaltem, & facinoroſo crimine actuali homo carebit; atque, ſi diuinæ præparanti gratiæ non reſiſtat, per opportuna media ad deletionem etiam originalis maculæ, diuinitus aliqua ratione

diſpone-

diſponetur: peccato autem mortali carere, homini ad ſalutem ſuam, non quidem abſolutè, ſed quantum ad hominem attinet, ſufficit. Affirmat iſtud D. Auguſtinus lib. de Nat. & gra. cap. 43. quo loci ita ſcriptum reliquit. *Deus tam bonus quam iuſtus talem hominem fecit: cui peccati malo carere, ſufficeret.* Peccati malo carere homini ſufficit, inquit ille. S. Ambroſius in pſ. 36. idem uidetur aſſerere, dum inquit. *Si recte offeras, non recte autem diuidas, peccaſti; quieſce.* Quieſce, dixit, quòd homo ad ſalutem ſuam plus ex ſe facere non poſſit, quàm à malo quieſcere. Iſa. cap. 1. legitur. *Auferte malum cogitationum ueſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite bene facere.* Hoc unum quod eſt, quieſcere peruerſe agere, quia infirmis poteſt ſuis ex ſe uiribus homo; hoc ipſum unum illi præcipitur; ut auferat ſcilicet malas cogitationes, & à peruerſis operationibus quieſcat. Ezech. cap. 14. legitur. *Hæc dicit Dominus Deus. Conuertimini, & recedite ab idolis ueſtris, & ab uniuerſis contaminationibus ueſtris auertite facies ueſtras.* Vt conuertantur, & recedant, præcipitur, ab idolorum cultura, & auertant à contaminationibus facies ſuas. Hoc quippe modo ad Deum peccatores conuerti dicuntur, ſi à malo receſserint. Et B. Chriſoſtomus Homil. Ex uarijs in Matth. locis 14. *Sufficit tibi* (inquit) *ad placandum Deum, peccare deſinere, & bene facere.* Sufficit tibi ut placetur Deus, à peccato ceſsare. Addit [& bene facere] non ad meritum intelligas, niſi diuina tecum gratia operetur, ſed ad ſtudium. ad quem modum intelligendum illud eſt, quod loco citato Iſaiæ ſubditur, uidelicet. [*Diſcite bene facere.*]

ne facere.] Niſi forte in uerbo [diſcite] unde ad opus uerè bonum, & meritorium, ſint à nobis petenda ſuffragia, ſignificetur: quod Ioan. cap. 6. innuit Dominus, cùm dixit. *Erunt omnes docibiles Dei*. Verba ſua quaſi exponens Chriſoſt. ſubiecit. *Recognoſce quia peccaſti; etſi agnoueris, initium correctionis factum eſt tibi. ſuſpira, moleſtus eſto, effunde lacrymas. Nec enim aliud quid effudit meretrix illa; ſed lacrymis pœnitentiam ſociauit: & ipſa comite peruenit ad fontem*. Hoc eſt ad gratiam, & ad Chriſtum omnis meriti fontem. Non enim illicò cùm recognouit peccata, cùm ſuſpirauit, cùm fudit lachrymas, cùm peccaſſe pœnituit, iuſtificata eſt (nondum enim ad peccata ſua delenda plenè fecerat quod in ſe erat) ſed per iſta opera, tanquam per opportuna media (non gratiæ effectiua, aut eius meritoria; ſed quæ gratiæ acceſſum, & Dei donationem non impediant) in eis perſiſtendo peruenit ad fontem, hoc eſt ad Chriſtum: & ad gratiam peruenit; per quàm unam uerè pœnitens iuſtificata eſt. Cùm tamen peccatum ſuum agnouit, initium correctionis factum eſt ſibi. Quod eſt iſtud correctionis initium, niſi à malo deſinere? non tamen hic ſtandum eſt, ſed bonum faciendum eſt; bonum inquam ſtudioſum: ideo ſubdit [ſuſpira, moleſtus eſto &c.] per quod ad Chriſtum & ad bonum meritorium peruenitur.

Caret actuali, & mortali peccato ille (originalem etiam maculam non excipimus) qui plenè facit ſecundum illud, quod in ipſo eſt (ad quem modum autem infantes ad deletionem originalis maculæ agant, ſecundũ illud quod in ipſis eſt, paulopoſt declarabitur)

hoc eſt, qui ſenſu, ratione, & uoluntate, quæ in ipſo ex conditione ſunt, benè (ut par eſt) naturaliter loquendo, & omni diligentia rectè, dum uiuit, utitur; non autem abutitur. quòd ſi illis abuſus fuerit; ſi peccauerit; peccata ſua recognoſcens, ſuſpirans, & lachrymas effundens, diuinæ præparanti gratiæ non reſiſtet; quin ita agendo, ad iuſtificantem & cooperantem gratiam, aditum ſibi parabit minime anguſtum. Exhibet nanque ſic humiliter agenti Deus (quia quantum ex ſe poteſt, peccatum ſuum deteſtatur, & ad ſtudium bene agit) ſua pietate atque miſericordia, unde uel per alicuius ſancti uiri miniſteriũ, uel per aliquam ſupernam illuminationem, originali peccato, & cum eo (ſi opus fuerit) actualibus omnibus carere, & ad fontem diuinæ gratiæ peruenire, & ad meritum bene agere, atque ad ſalutem ſuam proficere poſſit. Quod patere poteſt non tantùm Magdalenæ exemplo; ſed etiam exẽplo latronis, Luc. 23. Eunuchi, Act. cap. 8. Cornelij, Act. cap. 10. Lydiæ purpurariæ, Act. cap. 16. & aliorum multorum alibi.

Tolluntur in ijs, quæ dicta ſunt, difficultates.
Cap. 33.

NObis hoc loco fortaſſe quis obiiciet illud primò, quod in Paulo factum eſt: qui dum contra illud ageret, quod in ipſo erat (perſequebatur nanque Dei eccleſiam acerime, & peccabat grauisſimè) ad ſalutem ſuam, & à Christo ad Christvm uocatus perhibetur.

Secundò illud, quod in præcurſore Ioanne Bapt.

&in

& in Propheta Ieremia, & in aliquot alijs factum eſſe legimus, qui in uentre matris ſanctificati ſunt: antequam boni aliquid agerent, ſecundum illud, quod in ipſis erat.

Illud tertiò, quod de Iacob, & Eſau ad Rom. cap. 9. ſcriptum reliquit Apoſtolus. *Cum nondum boni aliquid egiſſent aut mali, dictum eſt. Maior ſeruiet minori. ſicut ſcriptum eſt. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Ad iſta, & ad alia id genus obiecta, non multum forſan difficile erit reſpondere.

Ad primum. In actibus Apoſtolicis cap. 9. non Pauli prædeſtinationem, ſed conuerſionem legimus: conuerſio autem (quoniam motus aliquis eſt; omnis autem motus, quod in primis libris phyſicarum auſcultationum docuit Ariſtoteles, de contrario in contrarium eſt) à ſuo priuatiuè oppoſito, hoc eſt ab auerſione, ut à termino à quo, incipit eſſe: & tunc ad Chriſtum conuerti incœpit paulus, cùm in termino e regione extremo, & priuatiuè oppoſito cõſtitutus, maximeque auerſus, maximè fureret aduerſus Chriſtum. Vt hac ratione, Pauli conuerſionem miraculoſam ad multorum patrum, & in primis D. Thomæ ſententiam exiſtimare debeamus. Addi ratio altera poteſt, cur miraculoſa. Quia in eius uidelicet conuerſione, omnia fermè ſenſibiliter tunc operata eſt diuina pietas, & apertè; quæ in peccantium cæterorum conuerſione occultè, & inſenſibiliter quotidie operatur: quod alibi à nobis fuſe ſatis & exactè oſtẽſum eſt. Vt merito ſub conuerſione Pauli, omnium peccatorum conuerſionem lætanter celebret mater

Eccleſia, atque pro ea exultet. Eſt enim in cœlis gaudium (Luc.capite 15.) ſuper uno peccatore pœni tentiam agente. Quanto magis de tot conuerſione in terris erit à nobis gaudium ſuſcipiendum, & dies feſtus celebrandus? Quo præclarè intelligeremus. quanta benefica miſericordia peccatores uniuerſos, quamuis ſceleſtiſſimos, etiam dum peccatores ſunt, (non tamē qua peccatores) proſequatur Deus, & quā tum eorum ſalutem exoptet.

Sanctificatos in utero matris ex tempore (ut ad obiectum alterum ueniamus) prædeſtinatos autem in cœlis ab æterno, ſpeciali prærogatiua diuina potitos eſſe dicimus. Addere etiam poſſumus, egiſſe iam eos ſecundum illud, quod in ipſis erat, pro toto tempore uitæ eorum; non in tempore, ſed in ipſa æternitate. Quæ quidem æternitas, temporum omnium curricula circumamplectitur. Quòd non aliter cognoſcat Deus facienda, quàm facta; nec aliter uocet ea, quæ non ſunt, quàm ea quæ ſunt. In quo quidem uniuerſo tempore uitæ ſuæ, quia diuinæ beneficentię obicem aliquem non erant appoſituri, nec diuinam ſemper paratam gratiam ullo modo erant auerſuri, aut oppugnaturi; illis, propterea in uitæ ipſorum principio data eſt iuſtificans gratia; per quā ſanctificati ſunt; nec ſolùm gratia; ſed illud etiam tunc datum eſt, quod alijs in fine uitæ præſentis exhibere Deus ſolet; confirmatio uidelicet quædam in ipſa diuina gratia; ex qua in bonis & meritorijs operibus, in finem uſque perſeuerantia emanauit; per quam, & naturaliter, & meritoriè ſimul, ad eorum gloriæ amplificationem, benè operarentur illi, dum

morta-

mortalem hanc uitam tranſigerent, æternam aſſequuturi.

Hoc ipſum de Iacob, & Eſau (quod eſt obiectum tertium) dictum eſſe putamus. Prænouit enim (ut alia multa, quæ ad obiectum dici poſſent, quæ alibi à nobis dicta ſunt, nunc prætermittamus) in æternitate Deus, antequam boni aliquid egiſſent, aut mali, quid facturi illi erant in tempore; & quò ſiue per bonas, ſiue per malas operationes unuſquiſque proceſſurus erat; & pro ratione atque præſenſione operum, unum miſericorditer amauit, alterum iuſtè odio habitus fuit.

Tantùm igitur (ut ad illud, unde diſceſſerat oratio, redeamus) per diuinam miſericordiam, à quocunque etiam ſceleſtiſſimo peccatore, ex parte uidelicet ipſius peccatoris, ad ſalutem ſuam Deus requirit, ut à peccato quieſcat; ut pœnitentiam ſicut poteſt agat; ut peccato deficiat; & ut in omnibus denique benè tantum, ac rectè agat; quantum ſecundum illud, quod in ipſo eſt, agere poteſt; hoc eſt quod rectæ naturali rationi, quæ in ipſo eſt, apprimè conueniat, in eiuſmodique actione perſeueret. Hoc eſt quod legitur pſ. 39. *Declina à malo, & fac bonum.* Fac inquit, bonum, ad ſtudium intelligas non ad meritum, niſi adſit diuina gratia. Niſi enim bonum aliquod ageres, ſed otiareris, à malo non declinares; quòd ipſa otioſitas mala omnino ſit. Plus nanque ab homine ſibi derelicto, ideſt abſque ſupernaturali præſidio diuino, Deus non expoſcit: alioquin non miſericors Dominus foret: quod uel cogitare nefas eſt. Quoniam plus, etiam ſi uellet homo facere, & pro

ſummis

ſummis uiribus ſuis adniteretur, agere ille ex ſe omnino non poſſet. Alia, quæ ad eius ſalutem neceſſaria ſunt multa, ut uocationem, inſpirationem, cathecheſim, quæ uno nomine præparantem gratiam dicere poſſumus; ſed in primis præuenientem gratiam atque iuſtificationem, & in bono opere perſeuerantiam, & exhibitæ gratiæ amplificationem illo modo operanti adhibebit ſingula Deus, ſua largitate, & miſericordi clementia; quando pro captus illius, qui operatur, ratione, infinita ſapientia ſua, eſſe illa adhibenda cognoſcet Deus; atque eo modo adhibebit, quo, ut proficiant, adhibenda eſſe præſenſerit. cũ quibus diuinis muneribus, & beneficijs, & operis ſui fidiſſimis ducibus, quidquid boni homo operatus fuerit, ad gratiæ amplificationem, ad boni operis perſeuerãtiam, & demum ad æternam uitam proficiet; & ad eam denique miſericorditer ſubuehetur, exaltabitur, tranſmittetur. Talis nanque, ac tanta erga hominem diuina miſericordia eſt, & bonitas, atque beneficentia; ut in ſua quemque poteſtate, ſalutem ſuam habere (modo uerbum piè ſuſcipiatur) dicere cum omni ſubmiſſione audeamus. Quod diuinus Vates (pſal. 118. ut mihi uidetur) non reticuit, cum dixit. *Anima mea in manibus meis ſemper.*

In

In ijs, quæ dicta ſunt, dubitatio. Cap. 34.

NOnnullos (inquit Iſidorus) ita à Deo deſpici legitur; ut peccata ſua deplorare illi non poſſint. Hoc autem ijs, quæ prius dicta ſunt, minime conſentit.

Adde. Quod ex D. Auguſt. lib. de Vita Chriſtiana cap. 3. Et lib. de Quantitate animæ cap. 14. & 24. quin etiam ex ſacris ſcripturis, ut ex lib. Gen. cap. 15. ubi legitur. *Necdum impleta ſunt peccata Amorræorum.* Et ex domino uineæ, Luc. cap. 13. qui, cum tres annos ſterilem ficulneam paſſus eſſet, ſuccidi illam iuſſerat; precibus autem cultoris uineæ, ea lege, per annum dimittitur; ut ſi fructum non fecerit, omnino ſucccidatur. Ex ijs (inquam) & alijs ſacræ Scripturæ, atque ſanctorum patrum auctoritatibus, certum peccatoribus à Deo ad pęnitentiam tempus exhiberi conuincitur, ultra quod ſalutis ſpes illis nulla relinqui uidetur. Quæ omnia, ijs, quæ à nobis paullo ante dicta fuerunt, aduerſari prorſus uidentur.

Verumenimuerò ſicubi eiuſmodi nobis occurrat lectio; quæ ab omni emendationis, & reſipiſcentiæ ſpe, peccatorem eijcere uideatur, atque ſalutis; ſciamus ſcripturam eiuſmodi, aut præcedentium peccatoris malarum operationum malum meritum, aut difficultatem peccatori benè operandi eximiam, non autem impoſſibilitatem nobis indicare, ſignificareque uoluiſſe. Quam difficultatem non ex parte Dei, cui quàm parcere facilius; quàm miſereri gratius; quàm iuſtificare optatius; quàm beare promptius

ptius eſt nihil; ſed ex parte ipſius peccatoris procedere intelligamus. Qui in uanis cupiditatibus, & fœdis uoluptatibus, ſæpe adeo toto animo immerſus eſt, atque ſepultus, conſuetudine in naturam penè conuerſa; ut ab illis, etiam cum impensè uoluerit, reſurgere, & ſe abſtinere, niſi ægerrimè, difficillimeque non posſit. In quibus falſis uoluptatibus, ſi à Deo deſeri dicatur: ſcelerum (ut dictum eſt) præcedentium ſuorum magnitudinem iſtud ſibi demeruiſſe intelligatur. Cui nihilominus quamuis ſceleſtisſimo, dum in hoc corpore conſtitutus eſt (patrum omnium conſenſu) ſalutis ſpes negāda non eſt. Quod diſt. 7. de pœnit. oſtenditur à canoniſtis. Ad reſipiſcentiam propterea tempus illi à Deo miſericorditer conceditur. Deus quippè, etſi non niſi liberè agit, quidquid agit erga peccatorem; necesſitate tamen (inquit in lib. de uera, & falſa pœnitentia capite 16. S. Auguſt) immenſæ iuſtæ miſericordiæ ſuæ, parcet, ac miſerebitut tui; ſi & tu aliquando miſertus fueris animæ tuæ, placens Deo: & te ille non deſeret, niſi tu illum prior deſerueris. Tui inquam quamuis ſceleratisſimi miſerebitur Deus; quando ſecundum illud, quod in te ex conditione eſt, agere, tu ipſe pro uirili tua omnino ſtudueris; & tui te peccati ſaltem ad ſtudium per præparantem gratiam impenſisſime pœnitebit. *Quacunque etenim hora peccator ingemuerit; omnium* (ait per Ezechielem Dominus) *iniquitatum eius non recordabor*. Tui eſt per præparantem diuinam gratiam, quæ nulli deeſt, quæ cunctis hominibus obuiam eſt, ad ſtudium ingemiſcere (quem gemitum attritionem dicere poſſumus) ad ſtudioſum

autem

autem hunc gemitum tuum, ille, qui per diuinam præuenientem, & ſubſequentem gratiam, ad meritum eſt, gemitus mox ſequetur; ſi gratiam, quæ præceſſit, uoluntas tua comitabitur, ac ſequetur. Tunc enim gratia ſuffultus eris, & in poteſtate tua erit diuinam iſtam gratiam ſequi; & tunc non ad ſtudium tantùm, ſed etiam ad meritum, cooperante tecum ipſa diuina gratia, peccata tua ingemiſcere poteris: prioremque impiam uitam tuam non attritione ſolùm, ſed contritione etiam (quæ donum Dei eſt) deteſtari ualebis. Quod ſi feceris; alia, ſi quæ alia ad ſalutem tuã neceſſaria erunt, adhibebit ſubinde Deus; qui iniquitatum tuarum non recordabitur; & ſalutem tuam, per ipſam miſericordem Dei gratiam, denique conſequeris. Quid aliud fecit Petrus, qui negauerat Chriſtum? Quid Zachæus, qui abſtulerat alienum? Quid Maria, quæ ſe carnis illecebris totam deuouerat? Quid latro, qui in omne ſe uitium immerſerat?

De infantium prædeſtinatione. Cap. 35.

INfantes, qui per ætatem, ſecundum illud, quòd in ipſis eſt, hoc eſt ſecundum rectam naturalem rationem (innocentiam quidem per peccatum, & gratuita dona, non autem naturalem rectam rationem in Adamo primo parente perdidimus; & ſi ad bonum illa per ſe, morale, aut naturale hebetior facta eſt, ad ſupernaturale autem penitus inualida) agere aliquid minimè norunt;

runt; alijs ſecundum illud, quod tum natura, tum gratia in eis eſt, agentibus, &, ut baptiſmum, & per eum diuinam gratiam ipſi recipiant, piè ſatagentibus; ſecundum illud, quod in ipſis eſt, agere illi dicuntur; non propriè, ſed appropriatè; hoc eſt non opera, aut uoluntate propria; ſed appropriata. Aliena nanque hoc eſt tum offerentium opera, tum uniuerſæ catholicæ eccleſiæ fide, & gratia, non autem propria; appropriata tamen (tanta eſt diuina miſericordia) prædeſtinationem hoc eſt fidem, gratiam, aliaque ſupernaturalia beneficia, & ſalutem denique ipſi conſequuntur; aut ſaltem conſequi poſſunt.

De ijs qui intra maternum aluum obeunt.

Cap. 36.

OPtarem, ut modo aliquo, anima iam rationali formatis abortionibus, & in utero materno quocunque modo periclitantibus infantibus, per benedictiones aliquas, & ſupplicationes, cum deuota Domni Noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctiſſimæ Trinitatis ſuper eis facta inuocatione, & beatiſs. Virginis matris facta, ut intercedat, ſupplicatione, ad æternam ſalutem, ſubueniretur. Quod fieri poſſe, etſi nonnulli & docti, & pij patres penitus denegant; ego tamen omnino negare non audeo. *Quis cognouit* (inquit Apoſt) *ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Si homini pro quocunque ſtatu ſuo naturali (quod multi, & docti, & ſancti patres, in ſuis interpretationibus ad principium

libri quarti Theologicarum ſententiarum affirmant) ad ſalutem aſſequendam, opportuna Deus exhibuit remedia; Cur infantes eos, qui in eo cœci carceris ſtatu, tanquàm in naturali, pro tempore, ſtatu ſuo conſtituti ſunt, à Deo penitus ita deſeri obſtinatè affirmabimus; ut quemadmodum aliorum opera & fide baptizantur; non ita aliorum ſaltem deuotis ſupplicationibus, & baptiſmo illo, quem in uoto non tantùm parentum ſuorum, ſed uniuerſæ etiam eccleſiæ ſuæ; quæ omnium ſalutem exoptat, Deus intuetur, ſaluari eos ſit poſſibile? qua ſacræ Scripturæ auctoritate? qua eccleſiæ definitione? qua cauſa iſtud aſſeuerabimus? Num quia Io. cap. 3. dicat Dominus. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei?* Sed iam in uoto parentum (quod in deuotis ſupplicationibus panditur) quinimò per aliquot eiuſdem membra, ut per oratores, infantulis applicata totius eccleſiæ, quæ omnium (ut diximus) ſalutem ſemper exoptat, renatus cenſeri poſſe uidetur. *Votum* (inquit Magiſter lib. quarto diſtinct. 17. patrum omnium conſenſu) *pro opere reputatur, ubi neceſſitas opus excluſit: Aduerſitas enim* (ut ad Richaredum regem ſcripſit aliquādo S. Greg. p̄p̄.) *quæ bonis uotis obijcitur; probatio uirtutis eſt, non iudicium reprobationis.* Si ex inferno (dixerim) O' immenſam Dei pietatem, Traianum S. Gregorius; ſi Falconillam in paganiſmo defunctam, S. Prima eius ſoror eduxerunt orationibus (quod ſerm. de defunctis ad diuinam clementiam amplificādam, magnus ille Theologus Ioannes Damaſcenus apertè aſſerere

non dubitauit) cur piorum fidelium humillimæ preces, ſanctiſſimaque uota Eccleſiæ innocentem puerulum ſaluare non poterunt? Num abbreuiata, aut ſacramentis alligata eſt manus Domini? Inquit Leo p̄p̄. (& ponitur 26. quæſt. 6. cap. His qui) *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire.* Sed optamus tantùm illis ſalutem, nihil autem de eorum ſalute temerè definimus; quin ut in aliis omnibus, ita in hac cauſa peritiorum patrum iudicio, & in primis Summi Roma. Pontif. cenſuræ humiliter me ſubmitto.

De libro vitæ. Cap. 37.

Liber uitæ à prædeſtinatione uix diſtat. Diſtat tamen ea ratione, quòd meritorū quidem diuina cognitio liber uitæ eſſe dicitur; præmiorum autem prædeſtinatio. In libro uitæ deſcripta ſunt merita; in prædeſtinatione tributa ſunt præmia. Qui ex hoc ſeculo migrant improbi, à libro uitæ deleti dicuntur. Pſal. 68. *Deleantur de libro Viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Ad quem modum autem de libro uitæ deletio aliqua, & aliqua expunctio fieri poſſit, cum Pilatus homo nefarius dixerit, *quod ſcripſi ſcripſi*, alibi à nobis declaratum eſt. Vt autem de libro Vitali & cœleſti, mali delentur; ita in libro alio, qui terrenus dici poteſt, ſcribi illos dicere poſſumus, quòd Ierem. cap. 17. ita legamus. *Recedentes à te in terra ſcribentur.* Omnes autem tàm illi, qui in terreno libro,

quàm illi, qui in libro Vitæ & cœleſti ſcripti ſunt, in libro Domini ſcriptos eſſe, Vates affirmat. Pſ. 138. cùm inquit. *In libro tuo omnes ſcribentur.* Quoniam tâm terrenus, quàm cœleſtis liber, Domini liber eſt: qui uniuerſorum eſt Dominus. Vel etiam omnes, & bonos, & malos in libro Vitæ (qui uerè liber Domini ſolus dicendus eſt) deſcriptos eſſe dicere poſſumus; non tamen eodem modo; ſed bonos per bona opera, & per habitum illius iuſtitiæ, & æquitatis, quæ, ut in eis eſſe debebat, ita in illis reperta eſt, & in libro deſcripta; malos autem per operum bonorum carentiam, & per iuſtitiæ priuationem, hoc eſt per eius iuſtitiæ priuationem, & defectum; quæ in eis, in eorumque operationibus eſſe debebat; non eſt autem. Vnde Chriſoſtomus. *In codice ſcripta ſunt peccata tua.* Scripta ſunt (inquam) per priuationem, in codice Domini peccata tua; hoc eſt malorum omnium peccata; quòd bona opera eorum, quæ in eo libro ſcribi debebant; quia illa non extant, quia ea non ſunt illi patrati, in codice ſcripta poſitiuè non ſunt; ſed priuatiuè tantùm ſcripta eſſe dicere poſſumus. Quæ omnia immenſo illius oculo conſpicua apparent; qui in luce tenebras, & in bono malum nouit unico intuitu. At quemadmodum (ſi paruis liceat componere magna) in uiſione cœcitatem, in pulchritudine deformitatem, & in affluentia egeſtatem, eodem intuitu ſæpius nos uidere uidemur; & ſimul utrunque oppoſitorum quoquo modo conſpicere: ſed unum per habitum, qui ineſt; alterum uerò per habitus,

ut uiſionis, uel pulchritudinis, uel affluentiæ priuationem, qui ineſſe poterat, & debebat. A libro Vitæ deleri nos; aut per defectum bonorum operum, nos in eo deſcribi, & à Deo illo modo cognoſci, per ſuam miſericordiam, auertat nobis Deus Optimus Maximus.

Primi libri finis. Sequitur ſecundus, qui de reprobatione eſt.

F. IVLII CARRARII SIRENII BRIXIANI HIERONYMIANI, Compendii

LIBER SECVNDVS.

In hoc ſecundo libro colliguntur breuiſsimis ea, quæ de Reprobatione alibi copioſius, & exactius dicta ſunt.

Reprobatio aſſeritur. Cap. 1.

QVAMVIS in priore ad Tim. ſcribat Apoſtolus. *Deus uult omnes homines ſaluos fieri*. Et pſal. 134. cecinerit S. Vates, *Deus omnia quæcunque uoluit fecit*. Reprobationem tamen nobis ſacræ literæ, cunctique patres catholici abundè aperteque demonſtrauerunt, ad Rom. cap. 9. ſcribente Apoſtolo. *Quod ſi Deus uolens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, in multa patientia, uaſa iræ apta in interitum; ut oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ, in uaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, &c. Et iterum eodem capite. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Et de Eſau ad Hebr. cap. 12. ſcribit Apoſtolus. *Et poſtea cupiens hæreditare benedictio-*

dictionem, reprobatus eſt. Sancti etiam, & pij ſcriptores ferè omnes de reprobatione, & de reprobis ſæpe, ac ſæpius atque diffusè mentionem fecerunt. S. Gregorius libro ſexto in primum Reg. cap. 2. ad principium. *Summi* (inquit) *uiri, cum reprobi bona docent, electis ſubditis magis timent: ne quos lingua ædificant; manu ideſt operatione peruertant*. Tertullianus lib. de fuga in perſequutione. *Ex cauſa reprobationis traditur Diabolo peccator, quaſi carnifici in pœnam*. Sed & innumeri alij, & docti & ſancti uiri eius meminerunt: & de ea nonnulli fusè dixerunt: multaque de eadem ſcripta poſt ſe reliquerunt.

Reprobatio ſumitur multifariam. *Cap. 2.*

SVmitur reprobatio multis modis; ſed quãtum ad præſentem tractationem attinet, tribus modis ſumatur. Vno modo pro actu quodam poſitiuo, quo aliquid à nobis repellitur, ac procul abijcitur; qui actus communiter abiectio à nobis, ſiue proiectio dicitur. pſalmus 117. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt* &c. Quo loci [reprobauerunt] ideſt abiecerunt qui ædificabant, proculque à ſe proiecerunt. Et Iſaiæ capite 7. *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* [reprobare] hoc eſt reijcere à ſe, ac profligare. Secundo modo reprobatio ſumitur pro pœna. Ad Rom. cap. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Reprobus hic ſenſus, peccati prioris pœna eſt. *Quia* uidelicet (inquit Apoſtolus) *non*

proba-

probauerunt Deum habere in notitia; & mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & ſerpentium: quia commutauerunt ueritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori. Tertio modo pro actus alicuius priuatione reprobatio ſumitur: & (ut magis appoſite loquamur) reprobatio hoc modo ſumpta, eſt quædam electionis ad bonum aliquod, ſiue approbationis priuatio; hoc eſt, eſt non electio, & non approbatio alicuius ad percipiendum aliquod bonum. Eiuſmodi autem non approbatio, & non electio, cum in alijs multis, tum in principum adminiſtrationibus, & uoluntatum ſuarum diſpoſitionibus, & magiſtratuum ab eis factis electionibus, atque diſpenſationibus maximè apparet. Electo quippe uno & approbato; alios qui eandem præfecturam ambiebant, non eligit, & non approbat princeps; ſed illos reprobaſſe dicitur. Ad Deum ait Salomon, Sap. capite 9. *Noli me reprobare a filijs tuis.* hoc eſt noli me inter filios & electos tuos non approbare. Et de Deo pſ. 32. legitur. *Reprobat conſilia principũ.* Reprobat, hoc eſt nõ approbat. Et in priore ad Cor. cap. 1. *Perdã ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo,* [reprobabo] hoc eſt non approbabo. Et Ierem. cap. 6. *Argentum reprobum uocate eos; quia Dominus proijciet eos.* [reprobum] hoc eſt non electum, ſiue non approbatum, ueluti ſcoria metalli, quæ proijcitur à fuſoribus. Cùm primo modo reprobatio pro abiectione ac proiectione ſumitur (quoniam eo modo ſumpta diuina æterna reprobatio in infernum proie-

ctio quædam creaturæ rationalis eſſe intelligitur, atque deiectio) prædeſtinationi (quæ eſt, ut in ſuperioribus dictum fuit, ſubuectio quædam in cœlum atq; tranſmiſſio) contrariè quoquo modo opponi illã dicemus; ad eum quaſi modum (dixerim) quo motus deorſum motui ſurſum à phyſicis contrariè opponi dicitur. Impropriè tamen, & prædeſtinatio, & reprobatio etiam hoc modo ſumpta motus dicetur: eſto quòd cũ anima, quæ prædeſtinatur, & in cœlum ſubuehitur, aut quæ reprobatur, & in infernum deijcitur, corpus deijci ſimul, aut ſubuehi intelligamus; quòd minime naturales ſunt iſti motus, ſed ſupernaturales; & futuri ſunt (ut in pri. ad Cor. cap. 15. ſcribit Apoſt.) in momẽto in ictu oculi. Tãtum profecto realem motum in ictu oculi fieri, natura minime patitur. Cum ſumitur reprobatio ſecundo modo, & ut pœna eſt: opponitur rurſus prædeſtinationi reprobatio contrariè; non quomodo motui ſurſum motus deorſum, ut prius: ſed quomodo loco ſurſum locus deorſum; aut magis quomodo albedini nigredo, aut dulcedini amaritudo, uel gaudio triſtitia, & breuiter quomodo pœna præmio. Si uerò tertio & ultimo modo ſumatur reprobatio; ut uidelicet prædeſtinationis, ſiue diuinæ electionis, & approbationis priuatio quædam eſt; inter prædeſtinationem tunc & reprobationem priuatiua cenſebitur oppoſitio: qualis inter uiſionem eſt & cœcitatem, & qualis inter opulentiam & egeſtatem, aut inter lucem & tenebras, & omnino qualis inter bonum, quod ſit ſummè deſiderabile eſt, & boni priuationẽ. Omnibus ijs quidem modis, ſed hoc tertio modo potiſſimùm oppo-

nuntur

nuntur inter ſe prædeſtinatio & reprobatio. Eſt enim prædeſtinatio ueluti habitus quidam reprobationis, ut lumen habitus tenebrarum: reprobatio autem ut priuatio quædam prædeſtinationis eſt. Quam priuationem non in Deo, aut ex Deo (ut in ſequentibus oſtendemus) ſed in creatura rationali eſſe, & ex ea ſuo modo prouenire, declarantur.

Reprobatio diffinitur. Cap. 3.

QVoniam igitur multis (ut dictum eſt) modis reprobatio ſumitur; & aliquando rem poſitiuam, hoc eſt pœnam; aliquando habitus oppoſiti, hoc eſt prædeſtinationis priuationem (ut diximus) ſignificat; hinc factum eſt; ut ex catholicis patribus diuerſi diuerſis modis reprobationem circumloquuti fuerint, ſiue deſcripſerint, ſiue etiam dicas diffinierint. Et aliqui per actus poſitiuos, alij per priuationes illam diffinire, ſiue deſcribere conati ſunt. Nonnulli fuerunt etiam, qui poſitiua priuatiuis admiſcuerunt, confuſaneamque quandam de ea nobis diffinitionem tradiderunt; reprobationis propterea intelligentiam; atque doctrinam obſcuram ſatis illi, & difficilem reddiderunt. Vuilielmus Altiſiodor. non parui nominis Theologus, cap. 9. ſummæ ſuæ, quæſt. 2. dixit. Auguſtinum in cap. 9. ad Rom. ita reprobationem diffiniuiſſe. *Reprobare eſt nolle miſereri, & non apponere gratiam in præſenti, & damnare in futuro.* Hæc diffinitio ex priuatiuis & poſitiuis extructa eſt (Non apponere nanque gratiam, priuatio eſt. damnare autem poſitio

quædam eſt, & habitus) Multæ ſunt multorum patrum diffinitiones eiuſmodi (de quibus alibi dictum eſt à nobis uberius) quæ reprobationis intelligentiam confundunt magis, quàm explicent. Ex diuerſis ſcripturarum B. Auguſtini locis, iſtam, ad eius ſententiam, de reprobatione, ex patribus multi diffinitionem collegerunt. *Reprobatio eſt æterna quorundam hominum à Deo in maſſa perditionis derelictio.*

Traditæ diffinitionis explicatio. Cap. 4.

POſteriorem traditam diffinitionem (quam nonnulli minus rectè intelligentes reprehendere auſi ſunt) priore nunc prætermiſſa, breuiſſimis explicabimus. Quippe ſi hanc rectè intellexerimus; reprobationis naturam, qualis qualis illa ſit, meo iudicio ſufficienter ſatis intelligemus. Dicitur [æterna derelictio] quoniam ſicut prædeſtinatio (quod in ſuperioribus declaratum fuit) æterna quædam electio eſt rationalis creaturæ, & approbatio, atque ſubuectio, in æternam uitam, per ſuam miſericordiam, à Deo facta: ita ſuo modo reprobatio æterna quædam non electio, ſed derelictio eſſe dicitur rationalis creaturæ, & eiuſdem non approbatio, ideſt quædam diuinæ & æternæ electionis priuatio, atque approbationis. Quoniam uerò creaturæ rationalis ipſa à Deo non facta electio priuatio eſt ſempiterni gaudij, & æternæ uitæ; ipſa propterea non electio, eſt in maſſa perditionis æterna peccatoris derelictio: quæ quidem derelictio priuatio talis eſt; quæ æterna reprobatio dicitur; ideſt

æterna priuatio diuinæ æternæque electionis, necnon diuini ſupernaturalis beneficij, ſempiternæque fœlicitatis non collatio,& non exhibitio, & non præparatio; quæ à patribus, non appoſitio gratiæ communiter nuncupatur: per quam tantum diuinam electionem, & per quod tantum ſupernaturale beneficium, & gratiam, nullo autem modo ex aliqua ſua uirtute, aut ex proprio operum ſuorum merito, à maſſa perditionis homo ipſe ſegregari, extrahi, diuelli que poterat. Illam autē perditionis maſſam, in qua perditi, & reprobati, & gratia deſtituti homines, à Deo derelicti dicuntur, non Deus fecit; qui omnium hominum, omniumque rationalium creaturarum uitam atque ſalutem exoptat. Omnium quippè creaturarum rationalium Deus pater miſericors eſt; de quo Deut. cap. 32. legitur. *Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te.* Sed homo; ideſt primus parens noſter, ſuo uitio, per neglectum diuini mandati, ſibi illam infœliciter extruxit; diaboli ſuperbiam, à quo prius in fructu prohibitæ arboris tentatus fuerat, imitatus: in eamque ſemetipſum Adamus per inobedientiam deiecit; ut in eam diabolus ſeipſum per ſuperbiam ante deiecerat. Non enim in eam à Deo eſt Adam, aut lucifer, aut hominum quiſpiam, aut angelorum proiectus; quia non derelictus in ea homo, aut angelus, ſed in eam miſſus atque deiectus, proiectusque tunc potius diceretur. Quoniam non ideo creauit Deus hominem, ut illum puniret, & perderet, aut etiam in maſſam perditionis uel deiiceret, uel ex ſe lapſum in eam, in eadem derelinqueret (ut alibi copioſè Ioan. Da-

maſc.

maſc. oſtendit) ſed ut bonorum ſuorum in primis autem gratiæ, & gloriæ ſuæ participem illum efficeret. Quid autem perditio ſit; & qui dicantur homines perditi, libro de Beata Vita non longè à principio, B. Auguſtinus declarauit. Dicitur in diffinitione [quorundam hominum] quoniam etſi homines omnes (ad Rom. cap.5.) peccauerunt in Adamo, & per eum atque ab eo in maſſam perditionis omnes, quotquot ex eius ſemine oriundi ſunt, deiecti dicuntur, atque proiecti; non tamen in peccato, & in ipſa maſſa perditionis omnes à Deo, ex immenſitate miſericordiæ ſuæ, derelicti fuerunt; ſed aliqui tantùm. Illi autem qui in ea ſunt à Deo derelicti: non per antecedentem eius uoluntatem, & per quandam (quod nonnulli alioquin egregii patres Theologi putauerunt) Dei prædefinitionem: hoc eſt nullo ad operationes eorum bonas, uel malas habito ante electionem uel reprobationem reſpectu, fuerunt derelicti; ita ut aliquos, ſiue ante primi parentis præuaricationem à ſe procul abiecerit Deus, atque gratia, & ſalute eos deſtituerit; ſiue poſt præuaricationem, & poſt ingentem ruinam illam, in maſſa perditionis dereliquerit, & reprobauerit Deus: qui omnium ſalutem exoptat: qui uult omnes homines ſaluos fieri: qui non uult mortem peccatoris. Non inquam per antecedentem uoluntatem, ſed per uoluntatem conſequentem, hoc eſt per Dei uoluntatem illorum mala merita, quæ uel in dinina præſcientia præceſſerunt, conſequentem; & pro eorum meritis ſtipendia eiſdem perſoluentem; Deum illos, qui in maſſa perditionis derelicti ſunt, dereliquiſſe, dicendum

dum eſt. Quæ quidem eorum mala merita, & ſi ab eis, utpote realiter iam non exiſtentibus, nondum facta ſunt; in diuina tamen præſcientia, facienda non ſunt, ſed ab æterno ſunt facta: quæ & prædeſtinationem, & reprobationem noſtram, quoquo modo in ipſa æternitate, & in ipſa Dei præſenſione præceſſerunt. Propter eiuſmodi nanque mala eorum merita, & propter iniquas eorum uoluntates, à quibus liberari, aut in melius permutari pro ſuis illi uiribus neglexerunt; & propter diuinæ gratiæ (quæ cuilibet eam non aſpernanti ſemper parata eſt) contemptum, abiecit illos Deus; hoc eſt gratiam, & ſupernaturalia beneficia ſua illis non appoſuit; uel ſi appoſuit, & porrexit, illi non acceptarunt; idcirco in maſſa, in qua erant, perditionis, eos Deus dereliquit. Ita nanque pſ. 108. legimus. *Dilexit maledictionem, & ueniet ei; noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Quoſdam autem ad hunc modum in maſſa illa perditionis derelinquere, & ab eis ſe Deum, ſiue Dei benedictionem elongare, eoſdem abiicere, ac reprobare eſt. Illi profectò (ut quos in maſſa perditionis dereliquerit Deus, apertius ſignificemus) qui in præſcientia diuina, per malas eorum uoluntates, & operationes, Deum prius dereliquerunt; & ſupernaturalia, ac beatifica ſua oblata beneficia neglexerunt; & recipere, aut noluerunt, aut recepta tandem abiecerunt; necnon naturalibus proprijs facultatibus, inprimis autem ratione, & uoluntate malè uſi fuerunt; à Deo abiecti, & in maſsa perditionis derelicti, & reprobati dicuntur. Vt de illis dicat Dominus per prophetam (Ierem. cap. 2.) *Arguet te malitia tua; & auerſio*

tua increpabit te : ſcito, & uide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.

Data, & explicata diffinitio recta cenſetur. Cap. 5.

DAta, & breuibus, pro compendij ratione, à nobis explicata diffinitio, etſi rectiſſima, & ſanctisſima eſt: quòd quemadmodũ ipſa reprobatio, ut prædeſtinationi propriè opponitur, priuatio (ut diximus) eſt; ita per priuationes ſit tradita iſta diffinitio uniuerſa; & reprobationis naturam rectè ſatis, & dilucidè nobis exprimat; reprehenditur tamen à patribus nonnullis, & inter alios acriter ſatis à Reuer. patre Epiſcop. Ambroſio Catarino; ſed reuera & pater Ambroſius, & illi alij, qui eam reprehendere conati ſunt, uerba tantùm reprehendunt, non ſenſum; imò nec uerba ipſa; ſed quendam uerborum ſenſum, quem præ ſe illa non ferunt quidem, ferrè autem eis uidentur; qui minus exactè uerba S. Auguſtini perpendunt: quaſi illis uerbis præclarisſimus ille Doctor aſſeruerit, hominum quempiam Deum ultrò, hoc eſt nullo operum ſuorum habito reſpectu, abſolutaq; uoluntate ſua prius deſerere, & illum, ueluti ex capite, deuouere, necnon antecedente ſua uoluntate, & (quaſi dixerim) ex propoſito abijcere, atque derelinquere; à quò nõ fuerit Deus ipſe prius derelictus, & abiectus. Certè ſi eſset iſta B. Auguſtini ſententia, multis ſcripturis ſuis non eſset illa conſona: quinimò non eſset illa forſitan ab Eccleſia toleranda. Sed non eſt; cum libro

bro ſecundo Retract. cap. 18. de Eccleſia ſermonem habens inquiat. *Nunc propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet unde quotidie tota dicat. dimitte nobis debita noſtra*. Tota inquit Eccleſia habet, unde quotidie dicat, &c. quæram, luſu ne, an ſerio tota Eccleſia dicit. *Dimitte nobis* &c. non luſu certè, ſeriò igitur, & per conſequentiam pro ſalute omnium illa deprecatur. Vbi igitur in ea ſunt illi, qui per prædefinitionem reprobati ſunt; ſi pro omnibus Deum precatur Eccleſia? Et libro quarto de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 14. de nullius ſalute deſperandum eſſe, ille apertiſſime fatetur. Quo loci ita inquit ille: *De conuerſione autem nullius deſperandum eſt, ſiue foris, ſiue intus conſtituti; quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit; & uiſitat in uirga facinora eorum, & in flagella peccata eorum. Hoc enim modo miſericordiam ſuam non diſpergit ab eis; ſi & ipſi aliquando miſereantur animæ ſuæ, placentes Deo*. Et de Tempore, ſerm. 58. inquit. *Cum Deus uelit miſereri, quia bonus eſt; & poſsit, quia omnipotens eſt; ipſe contra ſe diuinæ pietatis ianuam claudit; qui Deum ſibi miſereri, aut non uelle, aut non poſſe credit*. Non Deus illi pietatis ianuam claudit; ſed ipſe ſibi; qui non uelle, uel nõ poſſe Deum ſibi miſereri exiſtimat. Et cap. 16. libri de Vera & falſa pœnitentia, quaſi ex profeſſo hunc nodum rectiſſimè diſſoluit: quo loci ita ſcriptũ ille reliquit. *Quid itaque culpæ in me eſt, ſi non uult ſeruare? Multum inquam: licet enim nihil conſequi poſſis, ſine miſericordia illa; quam repellis; potes tamen liberè tenere gratiam; quam retinendo potes (ſi tamen placeat) euitare culpam. Deus enim qui ſemel incœpit bene-*

facere (niſi derelinquamus eius beneficium) cogitur ex neceſsitate iuſtæ miſericordiæ, neminem prius poſſe relinquere. Non enim ſui relinquere eſt, niſi relinquentem. Idcirco enim culpa noſtra eſt, quia fugimus gratiam: quam poßumus habere perpetuam. ſemper inuita recedit, & nunquam aliquem ſpontanea deſerit. Hæc ille. Obſerua (te obſecro) uerba illa [*Licet nihil conſequi poſsis ſine miſericordia illa, quam tu repellis*] hoc eſt, Idcirco diuinum beneficium aliquod non conſequeris, & ad æternam uitam non eligeris, ſed reprobaris; quia Dei miſericordiam repellis; ſine qua diuinum ſupernaturale beneficium conſequi eſt impoſſibile. Et illa [*Cogitur ex neceſsitate iuſtæ miſericordiæ, neminem prius poſſe relinquere*] Illa etiam quæ ſequuntur [*Non enim ſui relinquere eſt niſi relinquentem*] quibus non tantùm neminem Deum relinquere; ſed etiam non poſſe relinquere, niſi prius relinquentem affirmauit. Neceſsitatem, quam patres aliquot infallibilitatis neceſsitatem appellarunt, P. Auguſtinus neceſsitatem iuſtæ miſericordiæ appellaſſe hoc loco uiſus eſt. Necnon alia multa quæ ſubſequuntur; illa præcipuè [*Semper inuita recedit gratia, & nunquam aliquem ſpontanea deſerit*] Non ſolùm gratia illa, quæ prius inerat; ſed illa etiam quæ non inerat, ſed parata, ut ineſſet, aſsiſtebat, inuita per peccatum tuum longius recedit. Num iſta eſſe poſſunt uerba ſentientis, aliquem Deum prædefinitione deuouere, & aliquem, ſine ſuo demerito, derelinquere, ab ſeque propellere, à quo prior ipſe non fuerit repulſus, & derelictus? Diſt. 1. de pœnit. cap. Deus definitionem. ex D. Ambroſio legitur. *Deus definitionem*

non facit: qui miſericordiam ſuam omnibus promiſit. Sed audi, quid lib. de Eccleſ. dogmatibus cap. 56. ſcribat idem S. Auguſt. *Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante uenire. Nullum inuitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari. Nullum niſi orantem auxilium promereri. Nullum Dei uoluntate perire; ſed permiſſu pro electione arbitrij.* Hæc ille. Cùm ait [*Nullum credimus ad ſalutem niſi Deo inuitante uenire*] Ecce gratiam præparantem. cùm ſubdit [*Nullum inuitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari*] Ecce gratiam præuenientem: cùm ſequitur [*Nullum niſi orantem auxilium promereri*] Ecce gratiam ſubſequentem, & cooperantem, & quæ etiam merita tibi augeat, & perſeuerantiam in bono opere tribuat. tandem ſubiecit [*Nullum Dei uoluntate perire*] ubi eſt illa antecedentis Dei uoluntatis de reprobatis definitio, ſi nemo Dei uoluntate perit? ſubdit [*Sed permiſſu, pro electione arbitrij*] Audiſtin, quod dixerit; [*Nullum Dei uoluntate perire, ſed permiſſu, pro electione arbitrij*] Arbitrij (inquam) tui, non Dei. Permisſione igitur Dei non prædefinitione, pereunt omnes illi, qui pereunt.

Deum à ſe neminem, quantum ad Deum attinet, abijcere. Cap. 6.

SI uerum igitur; locis proximè citatis, nobis dixit S. Auguſt. (qui dixit uerisſimum) Deum (quantum ad ſe attinet) antecedēte uidelicet ſua uoluntate, & ex ſeipſo, ſiue per actum aliquem poſitiuum; ſiue per ali-

cuius actus poſitiui, ut electionis priuationem, neminem à ſe abijcere, aut in maſſa perditionis derelinquere, niſi illum, qui in diuina præſcientia Deum prius dereliquerit, affirmare non dubitabimus. Relinquentes quippe Deus deſerit, obſtinatos indurat, & contemnentes condemnat. Cæterum Deus, qui non participatione ſed eſſentia bonus eſt; & ipſa bonitas eſt; à ſuis muneribus & beneficijs, non ſolùm à ſe neminem (quantum in ſe eſt) procul abijcit: ſed abundè etiam porrigit, & exhibet illa omnibus, & ſingulis; qui ea recipere ritè uoluerint, pro captus ipſorum ratione. *Deus* nempe, inquit D. Iacobus, *cunctis poſtulantibus dat ſapientiam affluenter, & non improperat*. Verumenimuero etſi neminem à ſe prior ille depellit: *Qui uult homines omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire*. Qui (ut Serm. de defunctis maximus ille, & præſtantisſimus Theologus Ioannes Damaſc. conſtanter affirmat) *Omnium hominum ſalutem quærit, expetit, ſitit; nec aliud eſt, in quo magis ipſe lætetur*. Aliquos tamen Deus & deſerere, & obdurare, & abiicere, & depellere, & reprobare communiter dicitur. quod priuatiuo modo intelligunt catholici patres; hoc eſt, non per appoſitionem culpæ, aut per actum aliquem poſitiuum, ſed per non appoſitionem gratiæ. Non quia Deus Opt. non uellet illam apponere; quam omnibus ultro ſemper offert, & offerre deſinit nunquam; ſed non apponit; quia per culpam noſtram illa depellitur. Vt omnino iſta non appoſitio, & iſta priuatio gratiæ non ſit ex parte Dei, ſed noſtri.

Quamobrem eos intelligas Deum abiicere tan-

tùm & propellere à ſe; qui Deum ipſum, & Dei beneficentiam atque miſericordiam priores abiecerũt; atque in peccatis ſuis obſtinati Deum priores dereliquerunt; à ſeque illum propulerunt; ſalutemq; propriam neglexerunt, ac contempſerunt. Præcedit in æternitate abiectio, & derelictio tua aliquo modo; ſequitur abiectio, & derelictio Dei; non tempore, aut natura, ſed origine.

Reprobationis altera diffinitio. Cap. 7.

NOn ſolùm per priuationes (qualis data, & explicata diffinitio fuit) ſed per habitus etiam, & per poſitiua quoquo modo reprobatio diffiniri poteſt. Non enim tantum priuatiuè, ſed contrariè etiam prædeſtinationi (ut diximus) aliquo modo opponitur reprobatio: quando præſertim pro pœna deſumitur. Ad quem modum B. Fulgentius ad Monymum ita illam aliquando diffiniuit. *Reprobatio eſt malorum præparatio; quæ Deus iuſtè perditis reddet.* Hanc nos diffinitionem, quia pulchè ſatis reprobationis naturam, & quod in ea poſitiuum eſt, declarat; quam breuisſimis explicabimus. Dicitur [eſt malorum præparatio] Mala, quæ perditis hominibus præparat Dominus; aut illis etiã iuſtè reddit, aut redditurus quandoque eſt; mala pœnæ ſunt, non mala culpæ. Non enim quia S. Fulgentius dixit [reprobatio eſt malorum præparatio] exiſtimare quiſpiam debet; ut ad quem modum prædeſtinatis, & electis gratiam (quod diximus libro ſuperiore, dum de prædeſtinatione diſſerebamus) &

ſuper-

ſupernaturalia innumera beneficia præparare Deum aſſeruimus: (Quòd, ut ex B. Auguſtino uidimus, prædeſtinatio ſit beneficiorum Dei præparatio) ad eum modum non prædeſtinatis, & reprobatis culpam (quæ ſola reuera malum dicenda eſt) præparare illum dicemus. Multo ſane diſcrimine, gratiam electis, & pœnam reprobatis præparat Deus; culpam autem nullo modo. Non enim culpam, ſed pœnam, ſiue ignem, & gehennam, quæ dicitur pœna ſenſus; ſiue diuinæ eſſentiæ uiſionis carentiam, quæ dicitur pœna damni, reprobatis Deus præparare dicitur; & illam multo aliter (ut diximus) quàm gratiã.

Primò. Quoniam gratiam antecedente ſua uoluntate, electis; pœnam uerò non niſi conſequente, reprobatis Deum præparare, dicendum eſt.

Secundò. Quoniam antecedente uoluntate gratiam non tantùm electis & prædeſtinatis, ſed cunctis etiam hominibus cuius cuius ætatis, ſexus, & nationis exiſtant; pœnam uero reprobatis tantùm conſequente uoluntate præparauit.

Tertiò. Quoniã præparat Deus gratiam ex ſe ſuaque bonitate, & illam electis ſuis ex ſe ſuaque actione ſiue immediatè, ſiue mediantibus ſacramentis, & ſacerdotibus, inſtrumentariis cauſis elargitur, atque in eorum corda diffundit; pœnam autem per malos miniſtros, illis, qui eam demeruerunt, infligendam relinquit, permittitque. Hoſtis perpetuus noſter diabolus in nos ſæuit non quantum uult, ſed quantum à Deo permittitur. Eſt autem pœna duplex: quędam, quæ ad ſupplicium; quædam uerò, quæ ad probationem infertur, & exercitium. Hæc poſterior non ni-

ſi temporanea eſt; illa uero prior perpetua eſſe poteſt. Temporanea pœna, & diuina, & humana cenſura atque iudicio inferri poteſt: pœna autem perpetua nõ niſi diuino iudicio cuipiam infligi poſſibile eſt. In diffinitione propterea ſubtexitur [*Quæ Deus iuſtè perditis reddet*] reddet, inquam, non omnibus, ſed perditis; non qualicunque modo, ſed iuſtè. hoc eſt, ſuo iuſto iudicio, atque permiſſu, non autem actione aliqua, quæ à Deo immediatè procedat. Tertullianus ait (lib. de Fuga in perſequutione) *Ex cauſa reprobationis traditur diabolo peccator, quaſi carnifici in pœnam.* Et pſ. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram; & tribulationem, immiſſiones per angelos malos.* Sed de iſta reprobationis diffinitione hactenus.

Illi, qui per poſitiua ſimul, & priuatiua reprobationem diffiniuere; quod fecerunt non pauci (quos hoc loco prætermittere, compendii ratio me admonet) qualis fuit illa ab Altiſiodorenſe ex Auguſtino (ut ipſe ait) recitata; quam nos ante produximus; legentis animum confudiſſe magis, quàm quid reprobatio ſit, explicauiſſe mihi uidentur. Vt Altiſiodorenſem, uirum alioqui egregiè doctum, in illa reprobationis diffinitione, quam B. Auguſtino ille aſcripſit, quam ego cap. 3. prius attuli: quæ ex poſitiuis conſtat ſimul & priuatiuis, facile eſſe deceptum crediderim; & non eſſe illam Auguſtini diffinitionem facile mihi perſuaſerim. Non ſolùm quia ex poſitiuis & priuatiuis commixta eſt; ſed etiam quoniam ipſa mihi diligentiſſimè in Auguſtino illam perquirenti nuſquam occurrerit.

Repro-

Reprobationis diffinitio ex Auctore. Cap. 8.

SI mihi inter tot egregios uiros obſtrepere, & aliquam de reprobatione diffinitionem afferre liceret; ego, *Reprobationem prædeſtinationis eſſe carentiam*, dicerem. Priuationes nanque (eſt enim reprobatio, ſicut antę dictum eſt, prædeſtinationis priuatio) per habituũ ſuorum carentiam, & defectum commodè ſatis explicari uidentur. Etenim ſi quis cęcitatem uiſionis, aut nuditatem ueſtimenti, aut ſilentium ſoni carentiam, & priuationem dixerit; rectè ſatis cuique priuationes illas cæcitatem, nuditatẽ, & ſilentium diffiniuiſſe ille uidebitur. Eodem modo priuationes alias quis diffinire facillimè poterit. Nihil reuera aliud quàm carentia, formaliter loquendo, priuatio eſt. Non tamen pura negatio eſt; imò plurimum à negatione differt, ratione conotati. Semper enim ſubiectum priuatio connotat; quod negatio facit nunquam, quatenus negatio.

Traditam etiam de prædeſtinationẽ ab Eccellentisſimo, & nunquam ſatis laudato Theologo D. Thoma diffinitionem pulcherrimam imitaturus, ego ita reprobationem quàm commodè diffinire potuiſſem. *Reprobatio eſt carentia rationis tranſmittendæ rationalis creaturæ in uitam æternam*. Hæc autem diffinitio ex ijs, quæ in ſuperioribus tum in hoc poſteriore, tum in priore libro dicta ſunt, manifeſta relinquitur. Illa profectò rationis carentia tranſmittendæ rationalis

nalis creaturæ in uitam æternam, non ex parte Dei eſt: tum quia in eo carentia, ſiue defectus eſt, aut eſſe poteſt nullus: tùm etiam quia omnium ſalutem uult, atque præoptat Deus Optimus: qui uult omnes homines ſaluos fieri, & neminem perire; ſed ex parte noſtri eam eſſe intelligito, hoc eſt ex culpa, & peccato noſtro. Ita nanque cap. 59. in Iſaia legitur, *Iniquitates ueſtræ diuiſerunt inter uos et Deum*. Et Eccli. cap. 15. *Ne dicas, per Deum abeſt*.

Culpæ auctor Deus non eſt. Cap. 9.

CVlpæ quippe (à culpa prædeſtinationis carentiam uenire diximus) non tantùm de patrum omnium catholicorum, ſed (quod à nobis alibi fuſius oſtenſum eſt) de probatiorum etiam gentilium philoſophantium ſententia, non magis Deus auctor eſt, aut eſſe poteſt; quàm umbræ, & tenebrarum iubar Solis fulgentiſſimum. Etenim Sol uniuerſas orbis terrarum partes (quantum in ſe eſt) & ſingulas affatim illuminat; ſi autem quidpiam in orbe terrarum uniuerſo eſt, quod Solis lumine deſtituatur; non ex Sole, aut ex luminis ſui aliquo defectu, ſed ex opaco, quod interpoſitum eſt, illud euenire, cuique manifeſtum eſſe debet. Quamobrem non multum probamus illud, quod facilè ſatis nonnulli patres Theologi, & docti, & pii admittunt: Deum uidelicet peccati noſtri cauſam eſſe priuatiuam: quaſi homo ſit ipſius peccati poſitiua cauſa, & priuationi (eſt enim peccatum priuatio, & nihil) ut priuatio eſt, poſitiua cauſa aſcribi poſſit. Quod nõ

magis uerum eſſe poteſt; quàm ſi nigri album, aut frigidi calidum, uel melius, quàm ſi cœcitatis uiſionem, ſi turpitudinis honeſtum, & breuiter ſi oppoſiti (quod abſurdisſimum, & rationi quàm diſſentaneum eſt) ſuum oppoſitum cauſam eſſe dixerimus. Eſt enim ea oppoſitorum omnium natura (relatiuā nonnulli oppoſitionem excipi, ſed non ſatis recte, uoluerunt) ut non ſe ad inuicem extruant, ſed deſtruant potius, atque corrumpant. Homo igitur, quia peccati ſui priuatiua cauſa eſt, uniuerſa ſui peccati cauſa erit; Deus autem nulla omnino peccati cauſa dicendus eſt. Iſtud autem à nobis alibi & fuſius, & exactius declaratum fuit. Videri tamen peccati aliqua cauſa Deus poteſt.

Primò. Quia peccatores in maxima multitudine exiſtant; & iuſtos ſine comparatione aliqua iniuſti excedant.

Secundò. Quia in ſceleratos homines uindicatrice iuſtitia uti uelle Deus, omnes confitentur.

Tertiò. Quia uindicatrix ipſa iuſtitia (quod putaſſe uidentur maximi quidam Theologi) ad uniuerſitatis integritatem, atque perfectionem per ſe facere uideatur.

Quartò. Quia in homine uirtutes quaſdam cupiat, in quo cunctas cupit Deus, ut patientiam, pœnitentiam, martyrium, & id genus alias: quæ ſine quorundam hominum improbitate, & peccato eſſe non poſſe uidentur: ut omnino, qui has uirtutes in aliquo cupiat, in alio improbitatem per conſequentiam, & peccatum uelit. Aut propter aliquam aliam cauſam, quæcunque ſit illa, Deum aliquo modo pec-

cati

cati alicuius cauſam eſſe, affirmare penè cogamur.

Quamuis permittit Deus (ut ad primum, quod obiectum eſt, reſpondeamus) peccare hominum unumquemque ſuo arbitrio, & quantum libet; & permittit in quàmtumuis maximo numero, & in quantalibet maxima multitudine peccatores eſſe; nõ tamen alicuius peccati, & iniquitatis eorum eſt ipſe Deus aliqua cauſa. Liberæ nanque poteſtatis ut hominem principio condidit; ita eum ſemper in ſuis, & uoluntatibus & actionibus permanere liberum ſtatuit: atque pro libera poteſtate ſua, ad aquam uel ad ignem, hoc eſt ad bonum uel ad malum manum porrigere uoluit. *Non enim* (ut quarto cap. de Diu. nom. S. Dionyſius admonet) *rerum, quas condidit, naturam corrumpit Deus: ſed ſeruat* (quantum in ipſo eſt) *illam incolumem, atque tuetur*. Eccli. cap. 15. legitur. *Appoſuit tibi* (Deus) *aquam & ignem: ad quod uolueris porrige manum tuam. Ante hominem uita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Cupit quidem interea in homine Deus rectum donati, eiuſdemque naturæ atque eſſentiæ ex conditione inſerti liberi arbitrij, rectæque rationis uſum. Cupit (inquam) in homine rectum ſui arbitrij, & ſuæ rationis uſum; non cogit autem; ita ut illum ab homine quopiam, contra eius uoluntatem, aliquando exigat Deus, aut extorqueat. A qua rectitudine, ſi per culpam ſuam, & ſuæ uolũtatis, ac rationis obliquitatem homo ipſe deflectatur, labatur, & corruat: ſpontaneam in eo cupit Deus, & uoluntariam reſipiſcentiam. Cupit (inquam) rurſus uoluntariam in homine peccatore, atque ſpontaneam reſipiſcen-

tiam; non cogit autem illum ad pœnitentiam; nec ab eo extorquet aliquo modo inuitam reſipiſcentiã; ſed cupit tantũm; & ut ad illam perueniat, adiuuat Deus eius uoluntatem multis modis. Tempus propterea illi Deus, & locum pœnitentiæ tribuit: eumque, quamuis iam morte dignum (Iſa. nanque capite 26. legitur. *Tollatur impius; ut non uideat honorem Domini Dei*) patienter tamen ſuſtinet: quò ſeipſum aliquando colligat, & pro poſſe ſuo reſipiſcat; necnon ab eo quod eſt contra naturam, hoc eſt à peccato (in quod ſponte per uitium ſuum lapſus eſt) in illud, quod eſt ſecundum naturam, hoc eſt in peccati deteſtationem deletionemque; & in propriam rectitudinem, quantum ipſe poteſt, hoc eſt ad ſtudium ſi non ad meritum, per pœnitentiam conuertatur atque reuertatur: *An neſcis* (inquit Paul. ad Rom. capite 2.) *quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quod ſi facere, & ad pœnitentiam uenire ille neglexerit, & ad illam adduci non patiatur; ſed in malo ſuo perſeuerare uoluerit; permittit illum, ſuæ quamuis obliquæ, & malæ uoluntati indulgere Deus; & agere pro libito. Interea eius iniquitate, ac malignitate ad bonorum ac piorum hominum probationem, & ad eorum patientiæ, & uirtutum omnis generis exercitationem, necnon ad meriti eorundem amplificationem, & augmentum, ſua pietate, utitur Deus Optimus. *Omnis enim malus* (inquit B. Auguſtinus) *ideo uiuit: aut ut conuertatur; aut ut per eum bonus exerceatur.*

Virtus vt ſit, vitio non indiget. Cap. 10.

NOn eſt uirtus aliqua (ut obiecti quarti ſolutionem præueniamus) quæ, ut ſit, peccato alicuius, aut uitio indigeat; quin potius à ſe uirtus quælibet procul peccata, & uitia cuncta, tanquam ea, quæ ſibi è regione præcipuè aduerſantur, pro poſſe depellit. Martyr eſt, & patiens non ille tantùm, qui ſuum ſanguinem pro Chriſto effundit, aut iniurias æquo animo ſuſtinet; ſed ille etiam, qui ad Martyrium, & ſanguinis effuſionem, aut ad patientiam, & iniurias tolerandas paratum (cùm opus fuerit) promptumque poſſidet animum; etſi lictoris gladium, & improbi hominis contumeliam non ſit expertus, aut experietur nunquã. Lib. de bono coniugali, cap. 21. S. Auguſtinus inquit. *Non eſt impar meritum patientiæ & martirij in Ioanne, qui paſſus non eſt; & in Petro, qui paſſus eſt. Etenim licet Ioannes non tranſierit per gladium; tamen paratus fuit ſuſtinere martyrium.* Pœnitens ſimiliter dicendus eſt: qui uel non committit, unde pœniteat, & plangat (plangenda nanque non committere, aliqua pœnitentiæ pars eſt, ſi rectam pœnitentiæ ab Ambroſio traditam diffinitionem recipiamus) uel ſi committat, ſe aliquando colligit, & reſipiſcit, per pœnitentiam plangendo commiſſa. Eodem modo non tantùm miles ſtrenuus dicẽdus eſt ille, qui alacri animo ad pugnam exit: ſed ille etiam, qui opportunè exire paratus eſt.

Neque (ut ad obiectum ſecundum ueniamus) propter

pter uindicatricem diuinam iuſtitiam peccatum aliquod eſſe, dicendum eſt: quaſi uelit ex ſe, & antecedente ſua uoluntate Deus, uindicatricem iuſtitiam, & propter eam permittat in aliquo peccatum, quod uindicet; ut iure uindicatrice iuſtitia uti poſſit; & in quemquam prædefinitè merito ſæuire uelit, cum per prophetam ipſe dixerit. *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur, & uiuat*. Et lib. 2. Reg. cap. 14. *Nec uult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat, qui abiectus eſt*. Sed contrà prorſus ſe res habet. Quippe propter peccata eſt diuina uindex iuſtitia. Non ſecus quàm morbus non eſt propter medicum; ſed contrà propter morbum medicus exiſtit.

Ex ijs quæ dicta ſunt, ſequitur ad obiectum tertium luculenta reſponſio: quæ eſt. Non per ſe uindicatricem iuſtitiam uelle Deum; neque ad uniuerſitatis integritatem illam, & perfectionem facere (quod alibi à nobis uberius explicatum eſt) ſed per accidens, poſito ſcilicet à nobis prius peccato, quod uindicandum eſt: ad eum uidelicet modum, quo medicinam, quæ ad praxim, & curationem ægrotantiũ exercetur, quam θεραπευτικὴν græci appellant, nõ per ſe, ſed poſito morbo, quod curandum eſt, ad mundi perfectionem facere dicimus. Eccleſiaſtici cap. 38. ſcriptum eſt. *Honora medicum, propter neceſſitatem enim creauit eum Dominus*. Neceſſitas iſta, propter quam medicũ creauit Dominus, nulla alia eſt, quàm morbi expellendi ratio. Vt propter morbum medicus exiſtat, non contra propter medicum morbus. Ierem. cap. 13. legimus. *Quare uenerunt mihi hæc?*

Adhi-

Adhibetur reſponſio. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Quaſi diceret. Propter peccata tua, exercuit in te Deus uindicem iuſtitiam ſuam; non autem propter uindicem iuſtitiam, permiſit te Deus peccare. Vt nullo modo per ſe ad uniuerſitatis integritatem, ſed tantùm per accidens, hoc eſt, poſito crimine, iuſtitia uindicatrix accedat.

Peccator etiam grauiſſimus ſaluari poteſt. Cap. XI.

QVoniam acceſſoriè tantùm (ut paullo ante dictum eſt) & per accidens ad uniuerſitatis integritatem uindicatrix iuſtitia facit, poſita uidelicet à nobis culpa; ut poſito morbo medicina; conſequens eſt; ut quemadmodũ morbus quilibet per rectam curationem, uniuerſitatis perfectione ſeruata, ab homine expelli poteſt; ita omnis culpa per rectam pœnitentiam, incolumi ſeruata uniuerſitatis integritate, ab omni rationali creatura pelli poſſit. Neutrum autem fieri poſſet; ſi uniuerſitatis integritati morbus eſſet neceſſarius, aut neceſſaria foret uindex Dei iuſtitia. Intemperans ſibi morbum aſciuit, Medicus pharmacum inſtruit, Natura pharmaco morbum depellit. Homo improbus peccauit, ſacerdos, qui ſpiritualis medicus eſt, quinetiam ipſemet peccator propriam culpam, ut poteſt, per pœnitentiam curat, Deus illam depellit, qui ſolus peccata dimittit. Ad quem modum autem in hominis ægroti indita libera poteſtate eſt, ad ſe curandum uocare medicum, aut non uocare; uel

etiam

etiam accedentem ſua ſponte illum ad ſe admittere, aut non admittere, ſed abiicere procul; & corporis proprii ſanitatem curare pro poſſe, aut omnino negligere; ipſumque corpus curandum exhibere medico, aut non exhibere; ita generali poſita erga quemcunque hominum Dei beneficentia, in peccatoris cuiusque etiam grauisſimi, ac ſceleſtisſimi poteſtate naturali eſt (uoluntatem naturalem, & liberam poteſtatē appello; quod naturæ uolũtatis ſit inſerta libertas) animæ propriæ ſalutē, ad ſtudiũ ſi non ad meritum pro poſſe, curare. hoc eſt, cum uirtute morali, ac naturali uitam tranſigere; errorem ſuum, necnon flagitia, & peccata ſua omnia, in primis autem grauia, quæ à Theologis mortalia appellantur, recta naturali ratione, & ſpontanea quadam, ac naturali deteſtatione, abiicere (eſt enim quoquo modo peccatum mortale omne, ut peccatum mortale eſt, contra rationalis creaturæ naturam; quod ex Io. Damaſceno in ſuperioribus dictum eſt; ſecundum naturã igitur modo quodam deteſtari illud homo peccator poteſt, & peccata omnia, amore ſeculi, ſi minus amore Dei, amoreque uirtutis, animo, & uoluntate profligare; hoc eſt ab illis ceſſare; & ea aliquando patraſſe admodum pœnitere; quod feciſſe quandoq; multos heroas, & alios inferioris clasſis homines æthnicos, declarant pasſim hiſtoriæ. Per eiuſmodi autem moralem, & naturalem ſceleris deteſtationem (quæ ad ſtudium, amore uirtutis, aut etiam amore mundi ſuſcipitur: quam deteſtationem à catholicis Theologis pijs & doctis attritionem nonnunquam nuncupari intelligo; præcipuè ſi ueri numinis aliquis afflatus

tus præceſſerit; quem præparantem quandoque gratiam illi appellant; qui peccatoris affectum ad Deum aliquo malo ſubuehat) tanquam per quandam (ſic dixerim) priuatiuam diſpoſitionem; ideſt per quandam impedimenti non appoſitionem, aut appoſiti, pro ſua uirili, amotionem aliquam (quæ amotio per non reſiſtentiam diuinæ præparanti gratiæ à Deo in nobis operantibus inchoatur) ad eam, quæ ad meritum eſt, deteſtationem; & quæ ea ratione à nobis ſuſcipitur; qua contra Dei mandata, & contra eius filij charitatem, pro cuius amore omnia ſufferre tenemur, nos peccaſſe, uoluntario quodam ingenti dolore admodum pœnitet: hoc eſt ad ſupernaturalem deteſtationem, quam ex nobis nos habere non poſſumus (contritionem Sancti Patres illam appellant) quę Dei munus eſt; per diuinam miſericordiam, à Deo, per opportuna media tranſmittimur, atque ſubuehimur. Et incipimus tunc, maximo profectu noſtro, propter Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum factorem, ſaluatorem, & redemptorem noſtrum, uitia illa noſtra omnia ex corde pœnitus deteſtari, atque abiicere: quæ, per inſitæ bonitatis naturam, & per moralis uirtutis amorem, aut etiam per inanem forte quandam humanæ gloriæ cupiditatem, & per mũdanam quandam exiſtimationẽ, deteſtati prius fueramus, atque abieceramus. Et diuinam gratiam (oblatum nobis ſemper à Deo, ac præparatum beneficium) minime reſpuimus: quin potius illam ardenter complectimur: & complexam, cum operamur, ſequimur; ſanctiſque, ac ſalutiferis inſpirationibus prompti acquieſcimus; & ſancta ſtudia mites aggre-

di ſtudemus; ſanctaque opera, cooperatore Deo, exercere gnauiter experimur: atque ad æternam uitam ita proficimus: ut ſi ad finem uſque iſto modo perſeuerauerimus; quamuis ſceleſtiſſimi ante fuerimus, ſalutem nihilominus noſtram, per Dei miſericordiã, denique conſequemur. Nemo igitur hominum eſt, qui à gratia & ſalute per Deum reiiciatur. Quamobrem Leo Papa huius nominis primus, & ponitur de pœnit. diſtinct. 7. in princip. Inquit. *Nemo eſt deſperandus, dum in hoc corpore conſtitutus eſt; quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur.* Et S. Auguſtinus libro Enchiridion cap. 65. ait. *Sed neque de ipſis criminibus quamlibet magnis remittendis in ſancta Eccleſia, Dei deſperanda eſt miſericordia, agentibus pœnitentiam ſecundum modum ſui cuiuſque peccati.*

Tollitur in dictis dubitatio. Cap. 12.

VErum eſt, quòd ſanctæ Scripturæ, loci aliquot, aliud, quàm diximus, & omnino illi contrarium ſonare uidentur. Vt quod De induratione Pharaonis; De excęcatione Iudæorum; De Tyri, & Sidònis derelictione; Et de aliorum multorum ſalutis fermè deſperatione legitur.

Verumenimuero illæ & aliæ eiuſmodi Scripturæ ſanctæ omnes, quæ noſtrarum culparum cauſam in Deum referre uidentur, cuius uolũtati reſiſtere quis non poteſt, cum D. Auguſtino contra Adimantum Manichęum cap. 26. Et contra Fauſtũ lib. 22. cap. 71.

Et lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 21. & alibi ſæpe. Et cum D. Baſilio ſerm. proprio, Quòd mali non ſit auctor Deus. & cum alijs doctis, pijs, & ſanctis patribus multis, cum debita pietate, intelligendæ ſunt. Non enim indurationem, aut excęcationem, aut peccatum aliquod, & culpam aliquam facit (ita dixerim) aut immittit nobis, & ingerit Deus; aut uult ille aliquo modo (ſi permiſſionis modum excipiamus) aliqua in nobis eſſe uitia, & peccata: per quæ induremur, excæcemur, & ab eo nos derelinquamur. Etenim Iſa. cap. 59. legitur. *Iniquitates ueſtræ diuiſerunt inter uos & Deum.* Quaſi dixerit. Tantum abeſt, ut nos Deus induret, aut excęcet, aut derelinquat Deus, ut ſemper nobiſcum eſſe uellet; & non derelinquat nos, niſi quia nos prius per iniquitates noſtras eum dereliquimus; ut derelictio noſtra cauſa ſit derelictionis illius. Et Eccleſiaſtici capite 15. ſcriptum eſt. *Non dicas, Ille me implanauit. Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus.* Nunquid aliquis eſt, qui ſponte faciat, quod odit? Deus, cui rerum ſumma poteſtas, hoc faciet? Verum eſt, quòd induraſſe Pharaonem, & Iudæos excæcaſſe Deum, legimus; quinetiam & apud Ierem. cap. 18. Et Iſa. cap. 45. & Amos cap. 3. & apud alios Prophetas alibi, Deum ipſum facere, & creare malum, quandoque legitur; & præterea prophetam decepiſſe illum Ezech. cap. 14. ſcriptum eſt. Sed & ſeipſum Pharaonem induraſſe, & Iudæos ſeipſos excæcaſſe, in ſanctis Scripturis unuſquiſq; legere potuit. Indurauit ſe Pharao, & ſe excæcarunt Iudæi propria uoluntate, propriaque liberi arbitrij ſui poteſtate,

& (ſic dixerim) poſitiuè,hoc eſt propria quadam pernicioſa ſua efficientia. Deus autem & hos excæcauit, & illum indurauit priuatiuè, hoc eſt ſupernaturalia beneficia, & in primis gratiam illis non præparando, & non conferendo. Non contulit autem, non quia illis præparare, aut conferre, aut non porrigere non uoluerit; ſed quia illi oblatam gratiam recipere renuerunt, malis ſuis ita præexigentibus meritis. B. Anſelmus lib. de Caſu diaboli inquit. *Porrigo tibi, & tu accipis. Sed quia ego do, ideo tu accipis. Porrrigo alteri, & non accipit; non ideo non accipit, quia ego non do; ſed ideo ego non do, quia ille non accipit.*

Tyrios & Sydonios corporali præſentia ſua admirandiſque uirtutibus ſuis, iuſto quidem, ſed nobis forſan occulto ſuo iudicio, dominus etſi dignatus non eſt; non tamen propterea negata eſt illis ſaluationis ſpes uniuerſa. ſed de re hac alibi à nobis exactius dictum eſt. Quamobrem cùm malum aliquibus apud Prophetas, & in ſacris literis ſanctiſq; ſcriptoribus facere Deum aliquando legimus; priuatiuè facere malum, hoc eſt bonum illis non facere, & non immittere, eorum culpa intelligamus. Quòd ſi poſitiuè etiam intelligere uoluerimus; de malo pœnæ tantùm (ut in ſuperioribus dictum eſt) aut etiam de mali in bonum permutatione, de qua ex S. Baſilio alibi diximus exactius, & paullo poſt nonnulla dicturi ſumus, núllo autem modo de malo culpæ intelligenda illa lectio erit.

Malum quomodo Deus faciat. Cap. 13.

MAlum autem pœnæ facere Deus dicitur, non aliqua poſitiua ſua actione, ſiue antecedente, ſiue conſequente ſua uoluntate, aut ex ſe immediatè (ab optimo nanque, imò ab ipſa bonitate quì malum aliquod ſiue culpæ, ſiue etiam pœnæ immediatè eſſe poterit?) ſed uel permiſſione tantùm, ad quem modum malum culpæ facere dici poteſt; uel iudicio, atque ſententiæ ſuæ (ſic dixerim) pronunciatione; ad quem modum malum pœnæ facere negandum non eſt, miniſtrorũ ſuorum opera; ſunt autem inter alios miniſtri, mali angeli. Malignos etenim ſpiritus, hoſtes ſæuiſſimos noſtros nos affligere, ſiue Dei beneficentia, ad exercitium, & prouentum noſtrum; ſiue eorum mala uoluntate atq; immanitate ad ſupplicium, & æternam mortem, atque excruciare nos, non quantum uolunt; ſed quantum eis conceditur, Deus permittit. Quis etenim ad exercitandam Sancti Iob admirabilem patientiam, tot illi, ſuisque bonis, Deo permittente, ac tanta intulit damna, niſi Sathanas? Quis Aegyptijs, ad puniendam eorum erga hoſpites ſuos inhumanitatem, tot clades iniecit, niſi Sathanas? Quis Iudæ Chriſti proditionem, aut ad impijſsimam proditionem ſuam uindicandam, laqueum intulit, niſi Sathanas? Hoc intelliges, ſi ſanctam Scripturam percurras. Iob cap. 1. legimus. *Dixit Dominus ad Sathan. Ecce uniuerſa, quæ habet Iob, in manu tua ſunt*, &c. Poſtquàm pſ. 77. dixerat propheta, mala

multa

multa immiſiſſe Deum Aegyptijs; ad quem modum illa immiſerit, declarans, inquit. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, immiſsiones per angelos malos.* Per angelos malos (inquit) immiſit. Luc. cap. 22. legitur. *Intrauit Sathanas in Iudam, & loquutus eſt principibus ſacerdotum, quemadmodum illum traderet eis,* &c. Cuius facti mox ſterili pœnitentia ductus, laqueo ſe ſuſpēdit. Cæterū etſi κατὰ δ᾽ ὀοκίαν, & ſecundum ſuum beneplacitum, per angelos malos, malis multis pœnæ atque culpæ nos affici, & falſos prophetas decipi, permittit Deus; non tamen ſecundum antecedentem ſuam uoluntatem, neque ſecundum illud beneplacitum, quod, beneplacitum ex ipſo, appellauit Damaſcenus; ſed quod ex noſtra culpa eſt, illud permittit; niſi forte ad probationem, & ad profectum noſtrum, malum aliquod infligatur. Nec malum aliquod, ut nobis ipſe inferret, aut ab aliis infligeretur, creauit Deus, aut exiſtere permiſit (ſi creatum illud, aut exiſtere dicamus) quaſi cruciatus noſtros, nobis improbè etiam agentibus, exoptet Deus; ut optat nobis ſalutem noſtram: qui per Iſaiam inquit. *Heu ego conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Non ſunt Dei hoſtes niſi peccatores; de quorum condemnatione, atque excruciatu dixit [heu ego conſolabor] quod non lætantis eſt, niſi figuratè, & per ironiam, ſed dolentis. *Non enim,* Tob. cap. 3. *Deus delectatur in perditionibus noſtris*: Et Sap. 1. *Non lætatur in perditione uiuentium.* Magnus Baſilius (ſermone, Quod mali auctor non ſit Deus) facere Deum, ac condere malum dixit, excellentisſimo quodam modo; qui ſoli naturæ optimæ, ac præſtantisſimæ, & quæ

uim habeat infinitam, hoc eſt ſoli Deo posſibilis eſt. Modus autem eſt, Malum ipſum, ſiue pœnæ, ſiue etiam culpæ in bonum (ut fieri poteſt) permutare. *Condit* (inquit ex interprete Baſilius) *Deus mala, hoc eſt transmutat ipſa: & ad bonitatem deducit: ut id, quod mala ſunt, deponant; & boni naturam aſſumant*. In bonum autem hoc modo malum permutare, ſummæ diuinæque tantùm potentiæ, atque ſapientiæ eſſe, in primo ſtromatum libro B. Clemens Alexandreus ex interprete affirmauit, iis uerbis. *Diuina ſapientia, & uirtutis, & potentia eſt officium; non ſolùm bona facere (Hac eſt enim, ut ſemel dicam, Dei natura: ut ignis calefacere, & lucis illuminare) ſed illud quoque maximè; ut id, quod per prauos aliquos homines, ad malum excogitatum eſt; ad bonum aliquem finem, & ad aliquam utilitatem deducat*. Et D. Auguſtinus lib. Enchir. cap. XI. inquit. *Neque Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cum ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret malum eſſe aliquod in operibus ſuis; niſi uſque adeo eſſet omnipotens, & bonus; ut benefaceret etiam de malo*. Vt omnino Dei uoluntas in eo ſit: ut mala omnia (quantum incolumi, & creaturæ rationalis arbitrio, & diuinæ æquitatis iuſtitia, fieri poteſt) ab orbe uniuerſo pellantur, tollanturque pœnitus. Cum ea, quæ mala ſunt, in bonum aliquod (ut fieri poteſt) tranſmutet, atque conuertat.

Deus

Deus qui malum non facit, malo benè utitur. *Cap. 14.*

QVamobrem, etſi per omnipotentisſimum Deum, malum nobis aliquod culpæ, aut etiam pœnæ immediate (ut ſuperiori capite dictum eſt) & per poſitiuam aliquam diuinam actionem, & uoluntatem, ad ſupplicium, & ad interitum inferri non poteſt: poteſt nihilominus Deus, qui malum in bonum permutat, & de malo benefacit, uti malo pœnæ, tum ad improborum ſupplicium, quod bonum eſt (Benè ſanè res ſe habet, cùm improbi ſuæ improbitatis pœnam luunt) tum ad bonorum exercitium, atque probationem, quod ad eorum merita amplificanda utillimum eſt. Et non ſolùm malo pœnæ, ſed etiam malo culpæ (ut dictum eſt) & malis rationalium creaturarum uoluntatibus Deus benè uti poteſt. Cuius rei cum ex hac uniuerſa uita mortali noſtra, quam cum improbis uiris plurimum nos ſimul ducimus; tum ex multis ſacræ Scripturæ locis, ut uerbi cauſa, ex Semei Dauid regem iniurijs laceſſente, exemplum (quod lib. 2. Reg. capite 26. ſcriptum eſt) tibi ſumere potes. Ex cuius improbitate, procacitateque, Dauidis patientia, humilitas, gratia, & uirtus omnis ad meritum aucta eſt. Cum improbis, dum uiuimus, dimicamus. Eſt enim uita hominis militia ſuper terram. Dimicamus aduerſus carnem, aduerſus mundum, aduerſus diabolum; cuius membra improbi homines ſunt. Quamobrem ad Epheſios ſcribens Apoſtolus ſanctisſimè admonet;

net; cùm inquit. *Induite uos armaturam Dei; ut poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli; quoniam eſt nobis colluctatio aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.* Sed hæc colluctatio, bonorum (ut dictum eſt) exercitium eſt, atque probatio. Eccleſiaſtici nanque cap. 27. legitur. *Vaſa figuli probat fornax; homines autem iuſtos tentatio tribulationis. Facit autem Deus,* inquit Apoſt. *cum tentatione prouentum.* Quemadmodum in ipſo Dauide (ut diximus) patientiæ fecit, & humilitatis, & omnis uirtutis, & meriti augmentum. Malas quippè Deum facere uoluntates, ne dicas, neque modo aliquo in mentem tibi ſubeat; ſed malis uoluntatibus benè uti, dicere potes. Non enim Dei bonitas, ſed creaturæ rationalis nequitia, per uoluntatis liberæq; poteſtatis abuſum, iniquas uoluntates facit. *Deus* (dicebat Simplicius magni nominis philoſophus, & ethnicus theologus, dum Epictetum ſtoicum interpretaretur) *ex ſuperabundanti bonitate ſua animam* (humanam uidelicet de qua loquebatur) *fecit: quam non paſſus eſt inquinari, niſi propria uoluntate.* Non patitur (inquit Simplicius) Deus animam inquinari, niſi propria uoluntate.

Tollitur in dictis dubitatio. Cap. 15.

SI nobis figuli exemplum, quod & apud Ieremiam, & apud Apoſtolum, legere poſſumus, quis obijciat: Vt ad quem modum figulus ipſe uaſa, de eadem luti maſſa, & pulchra, & turpia, & ad honorem, & ad contumeliam;

tumeliam; ut puta cyatum ad bibendum, & matulam ad fœces colligendas, pro libito effingere poſſe dicitur. Ad eundem modum ſecundum ſanctas ſcripturas, de nobis poſſe facere, Deus dicatur; & quoſdam quidem ex eadem lutei ſeminis maſſa pulchros, hoc eſt gratia decoros, quoſdam autem turpes, & gratia deſtitutos facere illum affirmauerimus: ut hominis non ſolùm probitatem, & iuſtitiam, per quam pulchros nos Deus, atque decoros facit; ſed improbitatem etiam, atque iniquitatem, per quam nos gratia deſtitutos, & indecoros ille faciat; quaſi Dei opus peccata noſtra aſſeramus, & per conſequentiam, noſtræ iniquitatis, & reprobationis, & damnationis, cauſam Deum uniuerſam ſtatuamus.

Scito illum, qui ita obiiciat, præpoſterè ſanctam Scripturam, & figuli exemplum fuiſſe interpretatum. Exemplum quippe rectè, & ſane intelligendum eſt. Turpis quippe uaſis (etſi ex eadem luti maſſa, ex qua pulchrum, turpe uas factum eſſe dicitur. Omnes nan que ex immundo ſemine producimur) aut non eſt Deus aliqua cauſa: aut ſi eſt; non niſi per priuationē, hoc eſt per gratiæ ſuæ non appoſitionē, & per quandā tuæ fœditatis & culpæ permiſſionem, turpitudinis tuæ cauſa dici poteſt. Te nanque liberæ tuæ poteſtatis principio Deus conſtituit; te ſemper pro arbitrio tuo tibi agere permiſit; hac tua poteſtate, & arbitrio ſi inique uti uolueris, permittet tibi Deus.

Aut etiam fortaſſis per quandam malorum meritorum tuorum, quæ præceſſerunt, exigentiam, & pœnalitatem, turpitudinis tuæ cauſam illum eſſe dicere poſſumus.

Addere

Addere etiam tertiò libet. Per eximiam quandam patientiam ſuam, turpitudinis tuæ cauſam illum affirmare, nihil prohibet. *Suſtinuit* (ad Roma. cap. 9. inquit Apoſtolus) *in multa patientia Deus uaſa iræ apta in interitum*, &c. Suſtinuit (inquit) in multa patientia: non fecit turpia uaſa illa; ſed aliunde turpia facta, hoc eſt, ab improba ipſorummet peccantium uoluntate facta turpia, & ad interitum per ipſoſmet aptata patienter ſuſtinuit. Nec utcũq; patienter ſuſtinuit; ſed in multa patientia. Et alibi propheta, imo Dominus per prophetam, inquit. *Laboraui ſuſtinens. Et præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Quantũ propter noſtras iniquitates Deus laborauerit, Chriſti filii ſui incarnatio, uita, & mors denique crucis apertiſſime declarant. Et Iſa. cap. 42. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui*. Per ſufferentiam iniquitatis tuæ, per ſilentium, & per patientiam, turpitudinis tuæ Deus cauſa dici poteſt. Non enim putandum eſt, ad tui turpitudinem, & ad iniquitatem tuam, & ad tuã reprobationem, & damnationem poſitiuè, hoc eſt aliquo actu, ſiue aliquo actuali uelle ſuo, aduerſum te Deum aliquid facere. Hoc pugnat cum bonitate diuina, Sed te tantùm, qui teipſum culpa tua deturpas, tibi permittit; te, qui tibi peccatorum congeriem extruis, patienter ſuffert; necnon te in peccatorum tuorum turpitudine, & fœditate conquieſcentem patienter admodum ſuſtinet. Tu quippe, uel per communem culpam in primo parente, uel poſt deletam per baptiſmum peccati communis & originalis maculam, per culpam propriam decorem tuum, & pulchritudinem tuam iterum deturpaſti; quæ in

Adamo ante deturpata fuerat; atque decorem, & ornamentum tuum hoc eſt diuinam iuſtificantem gratiam, quæ tibi prius inerat; per quam pulcher effectus eras; procul à te depuliſti: præparanti autem gratiæ, quæ tibi, poſtquam peccaſti, & decorem tuũ deturpaſti; ſemper & aſtitit, & aſſiſtit, per obſtinationem in peccatis, & obdurationem tuam impedimentum apponis. Quamobrem ſi te Deus paſtor tuus uas pulchrum, & in honorem non efficiat, hoc eſt, ſi gratia te non exornat; ſi te non iuſtificat; ſi ad æternam gloriam te non ſubuehit; ex te eſt, non ex Deo ipſo: qui uaſa omnia pulcherrima eſſe exoptat, & aurea: qui per immenſam miſericordiam ſuam ad oſtium cuiuslibet peccatoris ſemper pulſat, ut aperiatur; qui uult homines omnes ſaluos fieri, & neminem perire; ſed unumquemque ad ueritatis cognitionem peruenire; hoc eſt cupit ſummoperè, præoptat, exquirit, ſitit ſalutem omnium. Eccleſiaſtici capite 15. ſcriptum eſt. *Ne dicas per Deum abeſt, Quæ enim odit ne feceris. Non dicas, ille me implanauit.*

Ad beatitudinem, & non ad damnationem; hominem Deus creauit. Cap. 16.

SI hæc igitur, quæ diximus, uera ſunt; ut ſunt (puto cum omni humilitate) uerisſima; non hominum quempiam uas reprobatum in contumeliam, & in turpitudinem feciſſe Deum dicemus; ſed cum Ioan. Damaſc. ad honorem & pulchritudinem, hoc eſt ad beatitudinẽ condidiſſe illum omnes homines affirmabimus.

Ad

Ad ueram (inquam) beatitudinem; non autem ad inanes quaſdam, & uanas beatitudines, ac fœlicitates, à uariis philoſophantibus ſibi diuerſimodè, atq; inaniter, ne dicam turpiter, excogitatas, hominem creauiſſe Deum, non falsò exiſtimabimus. Ad ſanctiſſima (inquam) ſua beneficia ſuſcipienda, & ad ueram (quantum ad Deum attinet) & ſolidam beatitudinem adipiſcendam, obtinendamque, hominem quemlibet condidiſſe Deum, aſſeuerabimus: Ad quam ſubuehere omnes, atque tranſmittere, ille ſummopere exoptat. Vtque ad illam fœliciter nos omnes aſcenderemus, atque aſſequeremur, & eiuſdem omninò aliquando potiremur, intactum reliquit nihil. *Quid ultra* (inquit per prophetam Dominus) *debui facere uineæ meæ, & non feci ei?* Quamobrem ad ueram fœlicitatem atque beatitudinem magis homines uniuerſos, quàm unum quempiam ad condemnationem, & æternam miſeriam creauiſſe Deum, exiſtimare rectè, atque catholicè debemus. *Inexterminabilem* (legitur lib. Sap. capite 2.) *condidit Deus hominem*. Ac ſi diceret, non ad mortem, ſed ad immortalem uitam uniuerſos Deus homines condidit. Quamuis multos interea iuſto ſuo iudicio condemnat æternis cruciatibus. Hæc autem, de qua loquimur, non commentitia, & ampulloſis quorundam hominum epicherematibus excogitata; ſed ſolida, & uera fœlicitas noſtra, atque beatitudo, ad quam (quantum ex parte Dei eſt) homines uniuerſos Deum creauiſſe diximus; non eſt alicuius eximiæ opinionis cognitio, aut aliqua eorum, quæ ſcripſerunt nonnulli magni nominis Philoſophi, quamuis exa-

cta commentariorum notitia; non, ſecundum præcepta Pythagoræ, aut Anaxagoræ, aut Platonis, aut Ariſtotelis, aut eximij cuiuſpiam alterius uirij (qui de moribus pro uitæ inſtitutione diſſeruerit) uita inſtituta; ſed eſt ipſius ueritatis, hoc eſt Dei Patris, & eius unigeniti filii Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sancti ſpiritus, Sanctiſſimæq; Trinitatis per fidem (dum in uia ſumus) humilis, & pia cognitio, confesſioque; atque ex charitate pius deitatis cultus; & ſecundum Dei mandata uitæ pia inſtitutio. Eiuſmodi nanque uera de Deo cognitio, cum pio cultu, & cum recta, & ad diuina præcepta rite collimata, uitæ inſtitutione, ad gratiam, ad gloriam, ad ſtatum bonorum omnium aggregatione completum, ad ipſam ſolidam beatitudinem, ad quam conditi ſumus, & ad ipſum denique Deum, quem tunc de facie cognoſcemus, nos perducit. *Hæc eſt* (inquit Dominus Io. cap. 17.) *uita æterna; ut cognoſcant te, ſolum Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Ad hanc fœlicitatem (quæ ſola uera fœlicitas eſt) non ſolùm (quod nonnulli, & pij, & docti uiri, ſunt arbitrati) omnia hominum genera, ut pote uirorum, ac mulierum, ſenum, & iuuenum, diuitum, & pauperum, principum, & priuatorum; ſed omnes etiam in unoquoq; genere, & ſingulos homines Deus (quantum in ſe eſt) creauit, & uocauit ſemper: & nunc creat, & uocat; & in futurum creabit perpetuò, atque uocabit, ad finem mundi uſque. Quoniam ad eam unumquemque hominem cuius cuius generis, ſexus, aut ætatis fuerit, peruenire deſiderat Deus Opt. Et ut facilius unuſquiſque ad illam perueniat, omnibus pro eorum

rum captũ, ferre ſuppetias nunquam deſiſtit: ut aliud nihil exiſtat, quod magis Deo placeat, quodque magis Deus exoptet; quàm ut quiſque hominum ſalutem propriam conſequatur.

De re hac ſerm. de Defunctis ediſſerẽs Io. Dam. ĩquit. αὐτὸ γὰρ καὶ διψᾷ, καὶ θέλει, καὶ ζητεῖ, καὶ ἐφίεται, καὶ ἐν τούτῳ χαίρει, καὶ κατευφραίνεται ὁ ὑπεράγαθος κύριος, ἵνα μή τις τῶν αὐτοῦ θείων δωρεῶν ἀστοχήσῃ. hoc eſt. *Hoc enim ipſum ſitit optimus Dominus & uult, & petit, & exoptat: & in hoc lætatur, atque exultat: ut qui à diuinis ſuis muneribus aberret, inueniatur nemo.*

Tollitur in dictis dubitatio. Cap. 17.

NOn tamen quia cupiat Deus ſalutem omnium, & ſingulorum hominum; aut quia à diuinis ſuis ſupernaturalibus beneficiis, ac beatificis muneribus neminem excidere uellet; ſed unumquemque recipere, & amplecti ea, atque tueri deſideret; aut quia ad Tim. ſcribat Apoſtolus. *Deus uult omnes homines ſaluos fieri.* Et S. Vates pſal. 113. decantet *Omnia, quacunque uoluit, fecit.* Deus uniuerſos & ſingulos homines, quos optat, & uellet ſaluos fieri; ſaluos facit, & beatitatem ſuam hominibus omnibus impertitur. Hoc autem minime ex parte Dei, ſed ex parte ipſorum hominum contingit. Quoniam diuino deſiderio, diuinæque miſericordisſimæ uoluntati, & ſaluificæ diuinæ beneficentiæ, multi per propriam culpam, & per propriam inanem concupiſcentiam, & iniquitatem ſe opponunt: atque eidem, perpetuo damno ſuo,

tur-

turpiter aduerſantur. De quibus, & Matth. cap. 23. ſub nomine Ieruſalem, conqueſtus eſt aliquando Dominus inquiens. *Ieruſalem Ieruſalem, cur occidis prophetas? & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt? Quoties uolui congregare filios tuos; quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et Iſa. cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mibi.*

Verumenimuerò, etſi diuinã uoluntatem illi negligunt: necnon diuina beneficia, quæ in cruce expanſis manibus Deus offerre non deſinit, reſpuunt: & à diuinis muneribus turpiter excidunt: illos tamen Deus minime negligit: ſed eiſdem, per gratiam illam, quam patres theologi præparantem appellari uoluerunt, ſemper aſsiſtit; & eorum cor pulſat; ut ad pœnitentiam illud emolliat: quod ſi facere recuſauerint, abiicit quidem illos Deus; non ita tamen quin de illis faciat tandem uoluntatem ſuam. Cuius prouidentiam ſubterfugere nemo hominum poteſt, aut aliquando potuit. *Non enim* (ut bene alibi dixit S. Auguſtinus) *aliqua Deus uoluit, & fecit: & aliqua Deus uoluit, & non fecit: ſed omnia* (ſecũdum Prophetam) *quæcunque uoluit, fecit.* Interea illos etiam, etſi diuinæ ſuæ uoluntati pertinaces aduerſantur, & Dei beneficia recuſant, & filios Ieruſalem ne congreget Deus, impedire ſatagunt, & moliuntur, Deus ipſe patienter expectat, ut illis miſereatur. Inquit Iſaias. *Propterea expectat Dominus, ut miſereatur ueſtri.* Expectat (inquam) quòd eorum quoque, qui Deo aduerſantur, ſalutem uelit, atque exſitiat Deus: *Qui non uult mortem peccatoris; ſed magis ut conuertatur & uiuat;*

nat. Qui hominum omnium ſalutem (ut utar uerbis Damaſceni) *quærit, expetit, exoptat*. Qui in cruce clamat, ſitio. Quamobrem uniuerſos homines (quod etiam ante diximus) ſua pietate ad æternam uitam prædeſtinare potius Deum, quàm unum aliquem ad æternam mortem reprobare, ac deuouere, & abijcere, affirmare debemus; cum omnium ſalutē exoptet Deus: cum peccatores omnes ad pœnitentiam expectet; cum antecedente ſua uoluntate, ad æternam uitam homines uniuerſos cōdat, conſeruetque; atque hominis uoluntatem incolumi libertate excitet ad gloriam, præparet, dirigatq;: etſi conſequente ſua uoluntate, nō ex proprio, ſed ex alieno, hoc eſt, ex noſtra cauſa quoſdam abijcere, reprobare, & cōdemnare manifeſtum exiſtit. Omnium quippe uitam, & ſalutem exquirit; cum ſanctiſſima ſua omnibus beneficia præparet, offerat, elargiaturque: illis exceptis, qui ea ſuo uitio accipere tandem recuſauerint; expanſasque Dei manus gratiarum omnium fęcundiſſimas aſpernati fuerint. B. Anſelmus lib. de caſu diaboli (quem locum etiam ante citauimus) iſtud, quod diximus, breuiſſimis oſtenſurus, ita ex perſona Dei rectiſſimè inquit. *Porrigo tibi, & tu accipis: ſed quia ego do, ideo tu accipis. Porrigo alteri, & non accipit. Non ideo non accipit, quia ego non do; ſed ideo ego non do, quia ille non accipit.*

Tollitur difficilis dubitatio. Cap. 18.

VErum hoc loco nonnulli pij patres & docti dubitarunt. Quoniam ut homo diuina beneficia recipiat, aliqua propriæ uoluntatis ad recipiendum determinatio prærequiritur (Non enim recipis, niſi te prius recipere determinaueris) inquirunt propterea, à quo eiuſmodi uoluntatis determinatio effecta eſt, ab ipſo ne homine, an à Deo? Vt autem nullo modo ab homine, ſed à Deo ſolo eſſe illam oſtenderent, rationes futiles ſatis & leues congeſſerunt; ex quibus ſubinde de prædeſtinatis, & reprobatis, abſque aliquo operum ſuorum reſpectu, in Deo prædefinitionem colligere ſunt arbitrati. Prætermittere hoc loco rationes illas, quæ multæ ſunt, in quibus erigendis patres illi incaſſum elaborarunt, compendii ratio me cogit. Cum præſertim ex comparatione materiæ ad formam, quam breuibus explicaturi nunc ſumus (tanquam exemplo aliquo, quod utcunque deſeruiat) cunctæ facillimè diſſoluantur. Quemadmodum ſanè receptio formæ in materia (non me latet interea quantum exemplū deficiat) non eſt materiæ actio aliqua, ſed paſſio dūtaxat; ita receptio gratiæ primæ in anima noſtra, paſſio tantùm eſt animæ, non actio. (Ad primam nanq; gratiam recipiendam, nullam homo actricem, aut meritoriam uim habet, aut habere poteſt; alioqui gratia non eſſet gratia; ſed paſſiuam tantùm) Paſſio (inquam) eſt non corrumpens ſed perficiens; ut lumen eſt aeris perficiens paſſio, & ſenſatio animalis,

&intellectio hominis. Vt ſicut ad formam recipiendam, nulla eſt in materia, ex parte materiæ actio; ita ad gratiam recipiendam, nulla eſt in uoluntate noſtra ex parte ipſius uoluntatis requirenda actio poſitiua & determinatio; ſed illi ſat eſt priuatiua illa diſpoſitio, de qua in ſuperioribus abundè dictum eſt, & illa diuinæ beneficentiæ non reſiſtentia, cum naturali illa inclinatione, quam habet homo ad ſuam beatitudinem. Quamobrem quemadmodum materia formam ſuo modo (quod tradunt phyſici) naturaliter appetit; etſi eam extrinſecus expectat; nec ad eam habet unde ex ſe ſeipſam mouere posſit; ſed quamprimum ad eius captum per agentem naturalem plenè diſpoſita eſt, illam ab agente recipit; ita primam gratiam anima naturaliter appetit; (appetit nanque naturaliter beatitudinem, & per conſequentiam, media, quæ ad beatitudinem neceſſaria ſunt) & ſi ea extrinſecus expectat: quam à Deo ipſa anima recipiet, quamprimum ad illam recipiendam (quantũ in ſe eſt) plenè diſpoſita fuerit, hoc eſt, quamprimum nullum prorſus aduerſus eam habebit impedimentum, & nullam reſiſtentiam.

Si hoc loco à me quæratur, primò, unde priuatiuam eiuſmodi diſpoſitionem ad primam gratiam recipiendam habeat ipſa Anima, à Deo ne, an à ſeipſa?

Secundò, an poſitiuam aliquam diſpoſitionem ad primam gratiam anima habere posſit?

Reſpondebo ad quæſtionem primam. hominem poſſe ſeipſum generali diuino influxu perſeuerante ad gratiam primam priuatiuè diſponere. Quod aliud nihil eſt, quàm gratiæ non ponere obicem, ſed po-

ſitum pro poſſe ſuo amouere; & in hoc ipſe ſibi uoluntatem ſuam determinare poteſt: quod aliud nihil eſt, quàm bene agere ad ſtudium, non ad meritũ. Hoc declaratum eſt in ſuperioribus abundantius.

Ad ſecundam dubitationem ſi aliqua in homine ad gratiam primam poſitiua diſpoſitio requiritur, uniuerſa à Deo erit; & ad hanc diſpoſitionem recipiendam, uoluntatem homo ſuam aliquo Dei auxilio fultus determinabit: ut v.c. uocatione, sãcta inſpiratione, & omnino præparante gratiã. Inchoat enim ſemper Deus ĩ homine omne opus bonum, quod uel meritum ſit, uel ad meritum tendat: Deum autem homo ſequitur, & ipſo cooperatore opus perficitur.

Si autem de ea hominis poſitiua diſpoſitione loqui uoluerimus; qua ad ſupernaturalia quæcunque, poſt primæ gratiæ receptionem, beneficia ſuſcipienda homo ipſe diſponitur, & de ea quęramus à quo ſit, à Deo, an ab homine.

Reſpondebo illico, à gratia Dei adepta, & ab ipſo homine gratiam ſubſequente; cui per primam receptam gratiam Deus cooperatur. Niſi enim homo ſponte ſua, & libera arbitrii ſui poteſtate Deum ſequeretur, beneficia illa aſſequi non poſſet. *Omnia poſſum* (inquit ad Philipp. Apoſtolus) *in eo, qui me confortat*. Et alibi ad Cor. idem ait. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.*

Ex iis, quæ compendiò diximus; uanam eſſe prædefinitionem illam, quam ſuis ratiunculis (de quibus alibi uidendum eſt) oſtendere nonnulli conati ſunt; per quam noſtrorum operum rationem uniuerſam non ſolùm à prædeſtinatione diuina, ſed etiam à re-

proba-

probatione tollere non uerentur; manifeſtum euaſit: & præterea noſtræ damnationis nosipſos, ſalutis uero Deum eſſe uniuerſam cauſam; non ſecus quàm tenebrarum opaci interpoſitionem, illuminationis uero Solis luminoſitatem, uniuerſam cauſam eſſe diceremus. Salutem quippè hominibus omnibus, & ſalutaria ſua beneficia, ut impertitur, ita imperitiri ſummoperè Deus deſiderat ſua bonitate. Illa quippe nobis ultro ac libenter offert, porrigit, exhibet. Noſtrum eſt, illa non aſpernari, non negligere; quin etiam cum diuino aliquo auxilio, ad ea uoluntatis noſtræ (quæ ſola noſtra eſt) manum porrigere, & accipere. Quàm cito tu manum, & uoluntatem tuam ritè (quantum in te eſt) porrexeris, cunctumque impedimentum, ut tibi poſſibile eſt, abſtuleris; ille qui ea ſemper porrigit, exhibebit; ipſe recipies. Non enim (ut lib. ſecundo Orthod. fid. cap. 29. Ioan. Damaſce. inquit) ad pœnam (quod etiam diximus in ſuperioribus) ad damnationem, ad gehennam, & perpetuam mortem nos Deus plaſmauit; ſed ut efficiat nos bonitatis, ac beatitudinis ſuæ participes: hoc uult, hoc quærit, hoc optat, hoc ſitit Deus, quia bonus. Peccantes autem, & in peccato ſuo turpiter conquieſcentes puniri uult; quia iuſtus.

Reprobatio, & prædeſtinatio liberum humanum arbitrium non impediunt. Cap. 19.

EX iis, quæ hactenus dicta ſunt, per conſequentiam, manifeſtiſſimum apparet; à ueritate procul illud abeſſe, quod hæretici multi ſimplicioribus ſuadere in primis, imponereque conati ſunt. Per reprobationem uidelicet, & per prædeſtinationem, Deum arbitrii noſtri libertatem imminuere, impedireque, aut etiam ita auferre penitus, ut ſit ſine re ſubiecta inanis titulus. Quando reprobatio quidem liberæ poteſtati noſtræ atteſtetur quammaximè: quoniam per noſtram liberam poteſtatem, in ſanctis Scripturis (& quas paullo ante tum ex Matth. tum ex Iſa. produximus, & quas alias multas producere poteramus) aduerſus diuinam uoluntatem uenire nos non dicam aliquando, ſed quàm ſæpiſſimè dicamur. Nempe cùm non aſſentimus diuinæ uocationi; cùm reſiſtimus diuinæ gratiæ; cùm diuinis non obtemperamus præceptis; cum non credimus Euangelio; & (ut uno uerbo dicam) cùm peccamus; contra diuinam uoluntatem tẽdimus; eidemque obſiſtimus, opponimus, aduerſamur. Prædeſtinatio uerò poteſtatem noſtram non ſolùm non imminuat, ſed adiuuet etiam ſummoperè, & augeat, atque perficiat adeò; ut per eam multa homo, & præclara, & ſancta opera, pro arbitrio & liberè operetur; quæ operari ſine ea omnino non poſſet. Et illuc per eam homo uolens cupidisſimeque deſiderans perueniat (ad cœlum uidelicet, & ad æter

nam

nam beatitudinem) ubi peruenire ſine ea impoſſibile prorſus exiſteret. Vt illi, qui dicunt una, uel altera, prædeſtinatione uidelicet, uel reprobatione, uel etiã utraque arbitrii noſtri libertatem, atque poteſtatem aliquo modo impediri; neutram modo aliquo percepiſſe conuincantur.

Reprobatus an poſſit ſaluari. Cap. 20.

QVamuis ad æternam mortem in diuina præſcientia damnatum ſeruari non poſſe; & ad ſempiternam gloriam ab æterno prędeſtinatum damnari non poſſe; affirmant catholici patres Theologi uniuerſi. Non tamen hoc idcirco illi affirmant; quia uel in minimo arbitrii noſtri liberam poteſtatem reprobationem, uel prædeſtinationem impedire, uel modo aliquo lædere arbitrentur. Cum opera illa noſtra, quæ à nobis, ut ex nobis proficiſcuntur, ſiquidem per rectam, naturaliter nobis inditã rationem proueniunt; prædeſtinationis noſtræ ratio aliqua (ut in ſuperioribus abunde declaratum fuit) exiſtunt. Si uerò per obliquatam rationem criminoſa prolabantur, reprobationis noſtrę cauſa uniuerſa cenſentur. Illa quæ per rectam naturalem rationem, nullo præcipuo, ac ſupernaturali adiutam diuino auxilio à nobis proficiſcuntur (quoniam, ut dictum eſt, uel diuinæ gratiæ non apponũt impedimentum, uel appoſitum amouenti non reſiſtunt) prædeſtinationis noſtræ ſunt aliqua ratio, quãuis priuatiua, & remota. Illa quæ per obliquatam rationem & male moratam, à nobis facinoroſa proueniunt,

niunt, reprobationis noſtræ uniuerſa cauſa ſunt. Vt omnino in diuina pręſcientia, aliquo originis ſigno, & prædeſtinationem eiuſmodi opera noſtra præcedant, & reprobationem. Sunt enim prædeſtinationis (ut dictum eſt) & reprobationis quoquo modo cauſa, uel ratio. Non negamus interea; quin earundem etiam aliqua opera noſtra effectus eſſe poſſint. Opera nanque bona naturæ bonitate tantùm, & moris, & præcedũt prædeſtinationem, & eius in diuina præſcientia aliqua ratio exiſtunt. Quæ autem præter bonitatem naturæ & moris, gratiæ etiam bonitatem habent, effectus ſunt prædeſtinationis. Priora illa pietatem (ita dixerim) diuinam commouent; ut ſua miſericordia prædeſtinet, hoc eſt ſubuehat ea, atque exaltet; & modo illo, qui ſuæ ſapientiæ opportunior cenſetur, Ieſu Chriſti ſanguine illa reſpergat, & gratia dignetur. Vt quæ nuda & arida ab anima peccatoris ad Deum, ut poterant, aſcenderant; per prædeſtinationem diuinis muneribus decorata, in animam eandem uuida reuertantur & rorida: & eã ad Deum iuſtificatam eleuent, atque tranſmittant; & in gratia perſiſtendo, opera æternæ uitæ meritoria, gratiſſimos fructus proferat ſemper, & operetur. Ad quem modum (ſeruiat exemplum ut poteſt) uapor, qui pluuiam pręcedit, à ſole excitatus ad mediam aeris regionem aſcendit; ibi poſtmodum condenſatus, & factus roridus, in terram unde aſcenderat reuerſus, terram ipſam ad frugem ferendam diſponit, ille qui præceſſit pluuiæ fit cauſa, qui uero mox ſequitur, pluuiæ erit effectus. Mala autem opera reprobationis noſtræ cauſa ſunt uniuerſa, quæ eiuſdem etiam effectus

fectus dici poſſunt. Si prædeſtinationem uniuerſa opera noſtra ſequerentur, aut reprobationem (ut fingunt hæretici) de ſua forſitan opinione, qua prædeſtinationem arbitrij noſtri liberam poteſtatem, & reprobationẽ proſternere, & penitus auferre ſunt opinati, excuſari poterant, defendi autem minime: quoniam etſi ſequerentur omnia; & quatenus ad æternã uitam per gratiam ſubuehuntur, effectus ſunt prædeſtinationis & Dei: non ita tamen effectus Dei ſunt, ut deſinant eſſe noſtri, & uoluntarij, & liberi. Cum de eiuſmodi operibus loquens, Matth. cap. 5. dicat Dominus. *Sic luceat lux ueſtra coram hominibus; ut uideant opera ueſtra bona; & glorificent patrem ueſtrum, qui in cælis eſt*. Et S. Auguſt. lib. primo de Gratia Dei inquit. *Non ſolum Deus poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat: ſed etiam uelle, & operari operatur in nobis; non quia nos non uolumus, aut nos non agimus: ſed quia ſine eius adiutorio, nec uolumus aliquid boni, nec agimus*. Non ergo ita Deus in nobis agit: ut nihil nosipſi (ut putant hæretici) uoluntate propria, ſponte, & liberè agamus per liberum arbitrium: quod tanto liberius eſt; quanto magis cum Deo cooperatore & adiutore agimus. Vt libera poteſtas noſtra Dei prædeſtinatione accreſcat, atque adaugeatur; nedum uel in minimo lædatur, & diminuatur: tantum abeſt ut tollatur.

Verumenimuero prædeſtinatum idcirco non poſſe damnari; aut reprobatum ſeruari non poſſe, affirmant, & prædicant Sancti Patres, & Catholici Theologi: ut intelligamus, reprobato ſalutem, & prædeſtinato damnationem non aliter ineſſe poſſe; quàm exempli cauſa currenti quietem, aut quieſcenti curſum

ſum ineſſe poſſe, diceremus. Quis unquã currentẽ, dũ in actu currendi eſt, cum effectu poſſe quieſcere; aut quieſcentẽ, dum in actu quieſcendi eſt, cũ effectu currere poſſe, diceret? Dum profectò aliquis currit, quieſcere; aut dum quieſcit, currere illum, eſſe impoſſibile, luce (quod dicitur) meridiana, clarius eſt. Qui tamen quieſcit, poteſt non quieſcere, ſed currere: & qui currit, poteſt non currere, ſed quieſcere. Vt hoc modo & quieſcentem currere, & currentem quieſcere poſſe, dicere ualeamus. Quod dialectici, cõtra ſophiſticas importunitates, per ſenſus quoſdam, quos compoſitionis appellant & diuiſionis, exquiſitius declararunt; & nos alibi declarauimus. Ad conſimilem modum, qui prædeſtinatus eſt, ſiue qui prædeſtinatur (Non enim, patrum conſenſu, in præteritum ex parte Dei tranſeunt diuinæ rationes, qualis prædeſtinatio eſt) poteſt nõ prædeſtinari, ſed reprobari. Et qui reprobatus eſt, ſiue qui reprobatur, poteſt ſimiliter non reprobari, ſed prædeſtinari: uel (melius dicam) qui prædeſtinatus non eſt, & qui electus non eſt; ſiue qui non prædeſtinatur, & qui non eligitur, poteſt eligi, & prædeſtinari. Et hoc modo prædeſtinatum damnari, & reprobatum, ſiue non prædeſtinatũ ſeruari poſſe, pij & catholici patres nõ negarũt. Quamobrem B. Auguſtinus, tractatu 20. ſuper Ioanne, rectè admonet unumquemque, cùm ait. *Si non traheris, ora ut traharis*. & ſtatim ſubdit. *Si non es prædeſtinatus, fac prædeſtineris*. Et Apoſtolorum coryphæus D. Petrus in poſt. cap. 1. inquit. *Fratres magis ſatagite; ut per bona opera certam uocationem ueſtram faciatis, & electionem*. Fruſtra quippè & B. Auguſtinus

non

non prædeſtinatos ita agere, ut prædeſtinationem aſſequantur, ſuaderet; & S. Petrus ad uocationem, & electionem, hoc eſt, ad prædeſtinationem certam faciẽdam fideles prædeſtinatos hortaretur; ſi nullo modo prædeſtinatos damnari, aut reprobatos hoc eſt non prædeſtinatos ſaluari, eſſet poſſibile. Quid aliud ſibi uult Apoſt. Paulus, quando in priore cap. 9. hortatur Corinthios, ita currere, ut accipiant apprehendantque brauium? *Neſcitis* (inquit) *quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus accipit brauium? Sic currite, ut comprehendatis.* Non hortatur eos, ut currant (currunt enim, cum pii fideles ſint) ſed ut ita currant, ut brauium æternæ uitæ comprehendãt. Hoc eſt quod dicit S. Petrus *ſatagite, ut per bona ueſtra opera, certam faciatis electionem ueſtram:* aut etiam quod dicit B. Auguſt. *Si non es prædeſtinatus, fac prædeſtineris.*

Reprobatorum, & prædeſtinatorum numerus certiſſimus. Cap. 21.

NOn tamen (quia prædeſtinatos damnari, & reprobatos, ſiue non prædeſtinatos ſeruari poſſe diximus) reprobatorum, & damnandorum, aut prædeſtinatorum, & ſaluandorum numerum ipſi Deo (qui ſicut omnipotens eſt, ita eſt omniſciens; cuius ſcientia, & præſcientia, ut augeri, aut minui non eſt poſſibile; ita falli omnino eſt impoſſibile) aliquo modo incertum eſſe, à quoquam exiſtimandum eſt. Ex parte quidem noſtri, qui tanquam aquę dilabimur, & in eodem ſtatu per-

manemus nunquam; & qui uolubilem uoluntatem habemus; quod apud intellectum aliquem humanum, aut angelicum, aut etiam diuinum certum ſit, aut ſtabile, eſt nihil; ſed ita (quantum ad nos attinet) fluctuant undique omnia: ut utrunque, & nobis, & angelo, & Deo inconſtans omnino ſit, & incertum, reprobatio uidelicet, & prædeſtinatio, necnon reprobatorum, & prædeſtinatorum numerus. Ex parte autem Dei, qui ſolus reuera eſt: & qui ſolus reuera abſque aliqua uicisſitudinis obumbratione ſtabilis, immortalisque perſeuerat, ac permanet: & cui quocunque modo, ſiue neceſſario, ſiue contingenter à nobis facienda iam facta ſunt; necnon præterita, & futura cuncta præſentia ſunt; & ante cuius conſpectũ nuda ſunt adeò omnia præſentia, præterita, & futura, ac aperta; ut uel in minimo falli in ſua cognitione immenſus Dei oculus omnino non posſit; & reprobatio, & prædeſtinatio, necnon reprobatorum ac damnandorum, prædeſtinatorumque & ſaluandorũ numerus certisſimus adeò perſtat, atque exactisſimus; ut augeri, aut minui, aut aliqua ratione ab eo, quod ipſe nouit, uel in minimo permutari non poſſit. Quamobrem de fide ad Petrum capite 25. inquit S. Auguſtinus. *Firmißime tene, & nullatenus dubites. Omnes, quos uaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante conſtitutionem mundi: in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo: neque perire poße aliquem eorum, quos Deus prædeſtinauit ad regnum cælorum. Nec quemquam eorum, quos non prædeſtinauit ad uitam, ulla poſſe ratione ſaluari.*

Sine

Sine intermiſſione orandum. Cap. 22.

NOn tamē quia in diuina cognitione reprobatorum, aut prædeſtinatorum numerus certisſimus ab æterno apud Deum, atque exactisſimus ità perſtat, ut aliqua ratione ab illo, quod de eo Dominus nouit, permutari non posſit; & prædeſtinatus (quantum ad diuinam præſcientiam, quæ nulla ratione falli poteſt, attinet) perire, & reprobatus ſaluari nequeat; ab oratione propterea reprobato, aut prædeſtinato, & à ſanctis operibus, atque exercitationibus aliquo tempore ceſſandum erit. Quin piè tenere potius, & fideliter credere omnes debemus; eum, quem, pro ratione improborum præſentium operum ſuorum, reprobatum exiſtimamus; ſi culpæ ſuæ (ut par eſt) & ſui ſceleris ritè illum pœniteat; bonisque operibus, ad ſtudium ſaltem ſi non ad meritum, pro poſſe iugiter incumbat, inuigiletque, prædeſtinatum iri. Iuxta illud, quod Zachariæ cap. 1. legitur. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, dicit Dominus exercituum.* Et illud quod Iſa. cap. 30. ſcriptum eſt. *Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis*, & iuxta illud D. Auguſtini, quod paullo ante produximus. *Si non es prædeſtinatus, fac prædeſtineris.* Sit tibi præ oculis ſemper latronis illius exemplum; qui, ut ad Chriſtum conuerſus fuit, continuò audire meruit, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Eum contrà, quem, pro ratione bonorum præſentium operum ſuorum, putamus prædeſtinatum; ſi æquitate, atque iuſtitia derelicta, iniuſtitiæ, & ini-

quita-

quitati ille adhæſerit, reprobatum iri. Ita nanque Ezechielis cap. 18. ait Dominus. *Audite domus Iſrael; cùm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia, & fecerit iniquitatem, morietur in ea; in iniuſtitia, quam operatus eſt, morietur. Et cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam; ipſe animam ſuam uiuificabit.* Et paullo ante hæc uerba ſcriptum eſt. *Quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Quamobrem illud nobis ſæpius repetendum eſt; quod Niniuitæ ſcelerum ſuorum iam pœnitentiam agentes, & à uia ſua mala conuerſi, repetebant. *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus; & reuertatur à furore iræ ſuæ; & non peribimus?* Et ſimul agendum eſt, ſecundum illud, quod ſequitur. *Et uidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de uia ſua mala.* Et tunc per diuinam miſericordiam, fiet, quod ſequitur. *Et miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam loquutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Quidquid autem tu facturus eras; & ad quid tu teipſum conuerſurus eras; & quò denique ſiue per bonas, ſiue per malas operationes tuas proceſſurus eras; ab æterno præcognouerat ille, qui ab æterno nouit omnia; & cui futura omnia, quamuis contingentisſima, & mutabilisſima, incommutabiliter, & exactè notisſima ſunt; de nouo autem adiſcit, aut adiſcere poteſt nihil. Non igitur ſine cauſa hortatur nos S. Petrus. *Vt cum timore, & tremore noſtram ſalutem operemur.* Et. *Vt per bona opera certam uocationem, & electionem noſtram facere ſatagamus.* Neque fruſtra admonet S. Auguſtinus inquiens. *Si non traheris, ora ut traharis.*

rù. Et. *Si non es prædeſtinatus, fac prædeſtineris*. Quid enim hoc aliud eſt, quàm dicere. Bene ſemper agas; & Deum pro peccatorum tuorum remiſsione ſemper deuotus exores; atque humilis depreceris. Vt uidens Deus bona opera tua; & inſpiciens quòd conuerſus ſis de uia tua mala; miſereatur ſuper malitiam; quam loquutus fuerat, ut faceret tibi, & non faciat.

De Virtute orationis. *Cap. 23.*

TAntæ autem uirtutis recta opera noſtra, necnon, quas rectè ac ritè Deo fundimus, noſtræ preces exiſtunt: ut diuinam iracundiam, diuinumque furorem, quem nobis noſtris ſceleribus demeruimus, placent; quod fecit Moyſes (Ex. cap. 32.) quando Deum, aduerſus populum Iſraelem ex perpetrata idololatria in deſerto uehementer iratum, eidem conciliauit. Reprobatum prædeſtinent, non eum tantùm, qui uiator adhuc eſt; quod fecit S. Monica, quando filium ſuum Auguſtinum, tunc Manichæum, Eccleſiæ catholicæ orationibus impetrauit; quod faciunt in Eccleſia catholica quotidie & uiri ſancti, & ſanctæ mulieres; ſed eum etiam, qui extra uiam exiſtit. quod fecerunt (ut hoc loco innumera, quæ à ſanctis uiris de defunctorum animabus ſcripta fuerunt, omittam) S. Gregorius (ut ſermo. de defunctis recitat magnus ille Theologus Io. Dam. quod S. Thomas, alter Theologus præſtantiſsimus alibi confirmat) quando pro Traiani iam diu uita functi ſalute Deum obnixe de-

precatus eſt. Et S. Prima (quod idem Io. Damaſc. eodẽ ſerm. retulit) quando pro ſorore ſua Falconilla (erant enim, & hæc, & ille pro meritorum ratione reprobati, & in inferno ſepulti: cum in paganiſmo defuncti fuerant) Deum ſtrictiſſimè exorauerunt: & ab inferno (ſic ait Damaſcanus) de quo ſcriptum eſt. *In inferno nulla eſt redemptio* (O' immenſam Dei miſericordiam) eorum animas liberauerunt. Impermutabilem denique (cum beatiſ. Hieronymo, & Ambroſio dixerim) diuinam ſententiam permutent: quod pro Niniuitis Ionam Deum deprecantem feciſſe manifeſtum eſt. Inquit S. Ambroſius, & ponitur de pœnitentia diſtinct. 1. *Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. Homine nanque* (ut ad Antiochenum populum Homil. 71. dixit aliquando B. Chriſoſtomus) *probo legitime orante, quod potentius ſit, eſt nihil. Animus* (dixit in Phædro Plato Theologus ethnicus) *oratione à reliquis ſegregatur rebus; purgatur prorſus; hæret Deo, & impletur Deo*. Quid precibus aſſequi non poterit ille; qui purgatus hærebit Deo, & diuinitate replebitur? Hoc loco amice lector, unum te obiter animaduertere cupio quammaximè. Quod eſt. Fruſtra unum Deũ (ex ſententia non tantùm Sanctorum patrum, ſed multorum etiam nobilium academicorum) orare; Deumq; incaſſum quæritare illum; qui non adhibet ſe ſolum ſoli, immobilemque immobili, & ſimplicem ſimpliciſſimo. Matth. cap. 6. ait Dominus. *Tu cùm oraueris, intra in cubiculum tum; & clauſo oſtio; ora patrem tuum in abſcondito* &c. *Quemadmodum enim non poſſumus* (ut dixit quidam egregius academicus) *Enti per non ens coniungi;*

iungi; ſic neque unitati per multitudinem, nec ſtabilitati per motum, nec ſimplicitati per mixtionem; ſed relabimur in contrarium.

An ad certam cœli plagam oraturus conuerti debeat. Cap. 24.

OMni igitur tempore, tàm reprobato quàm prædeſtinato & agendum rectè, & ritè orandum eſt, & in omni loco. Nullus eſt enim, meo iudicio, orationi fœdus, aut indecens locus; cum Deus, quem exoraturus es, in omni loco quamuis fœdiſſimo exiſtat. Quid inferno fœdius? ad Deum nihilominus S. Vates inquit. *Si deſcendero in infernum, ades.* Ad quam autem uolueris cœli plagam (ſi apoſtolica aliqua traditio, uel potiùs traditionis intentio non aduerſatur) exiſtimo oraturum te poſſe conuertere; cum terram Deus (Ierem. cap. 23.) & cœlum affatim repleat. Neque aliquà tibi te uertere poſſibile eſt, ubi Deus non exiſtat: qui nuſquam per eſſentiam, præſentiam, & potentiam non eſt. Quod non patres tantùm uniuerſi catholici theologi lumine fidei illuſtres affirmant: ſed & Plato Ethnicus, & ante ipſum Parmenides, & Orpheus, & Homerus, atque alij multi gentiles theologi, tum carmine, tum ſoluta oratione tradiderunt. Iamblicus platonicus aliquando dixit. *Deus eſt omnia, poteſt omnia, implet omnia in ſemetipſo.* Noſter etiã Poeta, natura duce hoc ipſum cognouit. Qui cecinit.

Deum nanque ire per omnes
Terraſq; tractuſq; maris, cœlumq; profundũ. Et alibi.

Iouis omnia plena. Et alibi.

Iupiter eſt, quodcunque uides, quocunque moueris.

Si tamen Domini noſtri Ieſu Chriſti, aut glorioſæ Virginis matris, aut etiam ſanctorum uirorum, ſanctarumque mulierum cuiuſpiam conſpexeris alicubi imaginem; illac uerſus orabis. Vt eius imitatione, cuius iconam conſpicis, & ſimulachrum; mente ad Deum attentius atque deuotius perducaris: & eiuſdem ſancti, cuius intueris delineatam imaginem, pia interceſſione, uoti ſancti tui compos efficiaris. Ita nãque agendo, & bonis operibus obnoxius incumbendo; Deum, & unigenitũ eius filium exorando; piiſſimam deiparam humiliter inuocando; & ſanctorum aliquem, uel cunctos etiam, cunctorumq; auxilium continuatis deprecationibus implorando; necnon alia, quæ pium, & catholicum uirum decent, agendo; non ſolùm quod uotis, & deprecationibus tuis poſtulabas, impetrabis; in primis autem peccatorum tuorum remisſionem, & ſanctam prædeſtinationem, atque beatitudinem; ſed pacatam etiam uitam, inter improbos uiros (quod non paruum beneficium eſt) atque tranquillam uiues. quòd quidquid aduerſi tibi contigerit, boni conſules. In Deum inimicorum tuorum uindictam reiicies. mitis, ac pius, non proſperis & ſecundis rebus tantum, ſed aduerſis etiam in Domino perfrueris. Ad æternam denique uitam, prædeſtinatus, lætus & glorioſus perduceris.

Eorum

Eorum quæ dicta ſunt breuiſſima collectio. *Cap.* 25.

EX his omnibus, quæ & de prædeſtinatione, & de reprobatione à nobis, uniuerſo iſto compendio, hactenus dicta ſunt; non ſolùm ex noſtris malis operibus reprobationem noſtram, & damnationem, per diuinam prouidentiam, iuſto ſubſequente Dei judicio, prouenire colligemus: ſed ex bonis etiam operibus noſtris, quoquo modo prædeſtinationem noſtram, ſalutem, per diuinam miſericordiam, diuina præueniente & ſubſequente gratia, proficiſci (iam arbitror) colligere dicereq; poterimus. Quis profectò eſt, qui cur Petrus ſaluus eſt, interrogatus, aut cur Paulus; non illicò reſpondeat; quia rectè (ut debebant) & ſecundum rectam rationem ſunt illi operati? Similiter cur Iudas æternis pœnis damnatus eſt, & Epulo; non dicat continuò; quia malè, & contra rectam rationem illi operati ſunt? Quippe ſicut ex malis operibus noſtris, nos perniciem noſtram nobis acquirimus attrahimuſque: ita ex bonis nos operationibus noſtris (dicente Domino) *Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata*; ad immortalem felicitatem nos ſubuehimur, atq; exaltamur. Ad ſalutem quippè noſtram, & beatitudinē, nulla animi noſtri uiolentia, ſed maxima eiuſdē propenſione, per noſtra bona opera, ſed in primis per diuinam (quam opera noſtra ſequuntur) miſericordiā, & pietatem, per hanc quidem tanquàm (ſic dixerim) per trochleam, per illa uerò (ſcio exemplum ualdè

deficere) ueluti per funem aliquem trochleæ innixum, ad Deum nos à Deo ipſo Opt. Max. eleuamur, atque ſubuehimur, attrahimurque. Gratiæ niſi innixa ſint opera noſtra, ad cœlum per illa eleuari nõ poſſumus. Non tantùm ſanè opera bene, uel male morata noſtra ſunt; ſed illa etiam opera, quæ ita bona ſunt, ut meritoria etiam eſſe dicãtur, Domini teſtimonio, noſtra eſſe cenſentur; qui Matth. cap. 5. ait. *Sic luceat lux ueſtra coràm hominibus; ut uideant opera ueſtra bona; & glorificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt.* Et alibi. *Fides tua te ſaluam fecit.* Et Paulus. *Fides ueſtra annunciatur in uniuerſo mundo.* Et D. Auguſt. *Ita laboremus* (inquit) *ut nobis bonorum operum clauibus ianuam regni cœleſtis aperire poßimus.* Sicut enim malis operibus, quaſi quibuſdam ſeris, ac uectibus uitæ nobis ianua clauditur: ita abſque dubio bonis operibus aperitur. Verum eſt, quòd non eodem modo opera illa bona, quæ æternæ uitæ meritoria ſunt, noſtra ſunt; quo opera bona, bonitate moris tantùm, uel naturæ; aut quo opera mala, & quæ æternæ mortis ſunt meritoria, noſtra eſſe dicuntur. Eſt enim in nobis, ut ex nobis, ad mala opera (generali diuino influxu perſeuerante) qua mala ſunt, & æternæ damnationis meritoria, poteſtas uniuerſa; ſi mala opera ex poteſtate aliqua proueniant; & non potius ex poteſtatis infirmitate, atque defectu ita proficiſcantur; ut non opera, ſed in operibus priuationes potius, & defectus appellari debeant. Ad bona autem, quæ uerè bona ſunt, hoc eſt ad opera ſalutis, & æternæ uitæ meritoria, qua uitæ æternæ meritoria ſunt, non eſt in nobis, aut ex nobis uniuerſa poteſtas: quin nulla

potius;

potius; ſed omnis eiuſmodi poteſtas in nobis, ex Deo eſt, dicente Domino. *Sine me nihil poteſtis facere*. Et ſcribente in poſter. ad Corinth. cap. 3. Apoſtolo. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. A nobis tamen, ut ex nobis, diuino generali influxu permanente, opera poſſunt bona proficiſci; hoc eſt bene morata, & rectæ naturali rationi conformia; & quæ naturaliter, uel moraliter tantùm bona dici poſſunt. Sed opera iſta noſtra, quamuis bene morata, ita parum ad ſempiternam uitam utilia ſunt, ut nuncupari ab Apoſtolo [aliquid] minime mereantur; quando dixit [Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis] & Dominus illa appellauerit nihil, cum dixit [ſine me nihil poteſtis facere] quæ nihilominus ea fortaſſis ratione aliquid quoquo modo dici poterũt, & ad æternã uitã eatenus utilia; quatenus ad opera uerè bona, & meritoria, & ad ea, quæ uerè aliquid ſunt, hoc eſt, quæ æternæ uitæ meritoria ſunt, necnon ad diuina ſupernaturalia beneficia, & ad uitã tandem ęternã, nos aliquo modo, hoc eſt priuatiuè diſponere illa dicuntur. Diſponũt (inquã) nos ad æternã uitam priuatiuè bene morata opera noſtra, quatenus (ut ante fuit à nobis copioſius declaratũ) diuinæ beneficentiæ, & largitati nullum illa impedimentum afferunt; & ſi aliquod ante appoſitum eſt; illud pro poſſe amouent, hoc eſt illud amouenti non reſiſtunt. Quo, per Dei miſericordem beneficentiam, amoto, gratuitus ſimul, & natiuus animæ ſplendor effulget: quemadmodum (ſi liceat magna componere paruis) amota rubigine ferri, continuò naturalis nitor effulget.

Tollitur

Tollitur in dictis dubitatio. Cap. 26.

DIctum eſt capite precedente, ſed in ſuperioribus copioſius, nos ex malis operibus reprobari, & damnari; ex bonis autem prædeſtinari, & ſaluari; ſtatim ſequi uidebitur; de ſalute cuiuſque, uel damnatione poſſe nos non ſolùm inquirere; ſed etiam iudicare: quod eſt, contra præceptum B. Auguſtini tractatu 26. ſuper Ioānnem. quo loci inquit. *Quare illum trahat, & non illum trahat; noli uelle iudicare, ſi non uis errare*. Nos contra B. Auguſtinū dixiſſe uidemur; illum trahit Deus, quia benè ille operatur: illum non trahit Deus, quia benè ille nō operatur. iudicauimus, ergo errauimus.

Ad hanc non leuem dubitationem, non erit forſitan multum difficile reſpondere. Nos quidem in uniuerſum de cauſa ſiue de ratione prædeſtinationis, & miſericordiſſimæ diuinæ attractionis diſſeruimus, & in quadam uniuerſalitate iudicauimus: eumq; diximus, Deum prædeſtinare; qui diuinæ beneficentiæ omnibus paratiſsimæ impedimentum non appoſuerit; quinimò appoſitum, pro uirili ſua, remouere conatus fuerit: remouet autem, uel remouere conatur ille; qui Deo remouenti non reſiſtit; ut reſiſtit ille, qui ſanctis afflatibus, juſtis legibus, & diuinis præceptis non obtemperat (ad ſtudium ſaltem ſi non ad meritum) & non acquieſcit. S. Auguſtinus autem in particulari, atque in ſingulari loquitur; cum inquit [*Quare illum trahat; & illum non trahat*, &c. dicit [illum] quod pronomen ſingularem perſonam demonſtrat

ſtrat. Quippe de ſalute uel damnatione, prædeſtinatione, uel reprobatione huius, uel illius, & ſingulorum hominum, uelle iudicare; non poteſt non eſſe erroneum, & temerarium. Hoc quippe ſolius diuini iudicij eſt; cuius unius eſt, arcana cordis diiudicare; à quibus de prædeſtinatione cuiuſque, uel reprobatione ſumendũ maximè iudiciũ eſt. Admonemur ſanè illius almi doctoris uerbis, iudicii de ſingularibus hominibus temeritatem euitare. Non eſt tantum iſta expoſitio mea. Hoc modo ante me, interpretatus eſt Auguſtini uerba Dominicus Soto libro ſuo de Natura & Gratia. Et P. Ambr. Catar. in libris ſuis de Prædeſtinatione. Et ante utrunque B. Fulgentius ad Monimum. Imò ipſemet S. Auguſtinus ad Paulinum, & eſt Epiſt. 59. in ſolutione quintæ dubitationis, quo loci præſumptorem, qui de ocultis alienis iudicat, temerariumq; appellat, & reprehendit. Non enim de hominum uniuerſitate, ſed de ſingularibus hominibus, opera quorum ſine errore, & culpa, ſolus Deus iudicare poteſt, intelligendum eſt B. Auguſtini præceptum. qui alibi dixit; quòd à nobis multi intus eſſe exiſtimantur; qui ſunt foris; & contrà multi ſunt intus; qui foris à nobis eſſe iudicantur. Vt omnino de ſingulari perſona, in eiuſmodi diuinis electionibus, relinquendum ſit Deo, cui omne cor patet, & omnis uoluntas loquitur, iudicium uniuerſum.

Verumenimuero alia in eiſdem B. Auguſtini uerbis non minor ſuboritur difficultas. Inquit [*Quare illum trahat, & non illum trahat, noli iudicare*, &c.] Tractus (ut docent phyſici & in primis libro ſeptimo Phyſicarum auſcultationum tex. 10. Ariſto.) motus

eſt

eſt uiolentus; per tractum prædeſtinationem (ut alibi diximus) commodè intelligere poſſumus. Erit igitur in prædeſtinatione (quam per tractum hoc loco intellexit S. Auguſtinus) uiolentia, cuius oppoſitum ſæpius à nobis in ſuperioribus dictum eſt, & unanimi conſenſu ſentiunt patres cuncti catholici.

Accedit. Quòd à phyſicis, & in primis ab Ariſto. lib. 3. Eth. cap. 1. uiolentum illud dicitur, quod ab extrinſeco mouetur, mobili ad motum uim aliquam non conferente. Sed qui prædeſtinatur, ab extrinſeco quoniam à Deo prædeſtinatur; hoc eſt ad cœlum & ad æternam uitam ſubuehitur, atque (ut ante declaratum eſt) tranſmittitur; & uim aliquam non habet, quam ad eiuſmodi ſubuectionem, & tranſmisſionē afferre poſſit (Vt abunde in ſuperioribus oſtenſum eſt) Eſt igitur in prædeſtinatione uiolentia aliqua, & aliqua coactitia neceſſitas.

Ad ſoluendam hanc plenè difficultatem, plura dicere neceſſum eſſet, quàm compendij ratio patiatur: nunc autem intra compendij limites perſiſtentes dicimus. Prædeſtinationem, & ad æternam uitam ſubuectionem, atque eleuationem, & tranſmisſionem tractum metaphoricè dici; ad quem modum dixit alicubi poeta. *Trahit ſua quemque uoluptas*. Habet nihilominus eiuſmodi metaphoricus tractus, cum tractu propriè dicto multam ſimilitudinem. Quemadmodum enim in tractu propriè dicto trahens extrinſecus eſt: & ſemper præcedit illud, quod trahitur; atque ſic illud comitatur, ut eo deſerente non ſolùm non procedat ulterius; ſed ſæpe etiam relabitur in contrarium: & uim aliquam ad tractum non

affert. Ita in tractu metaphorico; qui eſt ad meritoria opera noſtra, & ad æternæ uitæ ſubuectionem, trahens, qui Deus eſt, quãtũ ad naturam, extrinſecus eſt, & præcedit ſemper hominem, qui trahitur, & comitatur. Ita nanque precatur Eccleſia. *Vota noſtra quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando proſequere.* Et in alia collecta. *Actiones noſtras aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat; & per te cœpta finiatur.* Et in alia. *Tua nos, quæſumus Domine, gratia ſemper præueniat, & ſequatur.* Hoc modo igitur, Deus, qui extrinſecus trahens eſt, ſubuectionem noſtram (ſubuehimur autem nos per bonas, & meritorias operationes) præcedit, atque comitatur; ut eo nos deſerente, non ſolùm non proficiamus; ſed ſæpiſſime in deterius relabamur. Nos item qui ſubuehimur, nullam ex nobis actricem uim aut meritoriam ad tantam ſubuectionem habemus.

Eſt autem in hac ipſa ſimilitudine inter lapidem, Verbi cauſa, qui ad turris ſumitatem ab homine trahitur, & hominem, qui ad Deum à Deo trahitur, lata diſtantia.

Primo, Quia lapis dum trahitur, & aſcendit, in oppoſitum motum naturalem ita retinet inclinationẽ; ut ſibi derelictus omnino deſcenderet; homo autem ad ſupernaturalia beneficia, & in primis ad beatitudinem (ut in ſuperioribus oſtendimus) naturalẽ habet propenſionem quammaximam; & dum ad illam ſubuehitur, in contrarium minime omnium inclinatur.

Secundo. Quia lapis nullam habet internam & naturalem paſſiuam potẽtiam ad locum ſurſum, ſed ab

extrinſeco illum trahente habet uniuerſam, ſi aliquã habere dixerimus. homo autem ad Deum & ad gratiam, & ad beatitudinem etſi nullam uim naturalem actiuam habet; habet tamen naturalem paſſiuam. Ita in Ypognoſticis ſcribente S. Auguſtino. *Poſſe habere fidem, & poſſe habere charitatem, natura eſt hominũ: habere autem fidem, & habere charitatem, gratiæ eſt fidelium*[Naturæ inquit eſt hominum poſſe habere charitatem] quòd intrinſecam ad eam, & naturalem paſſiuam potentiam habeat; non ſic lapis ad motum ſurſum. Non eſt enim naturæ lapidis, poſſe eſſe ſurſum. quoniam ſi eſſet; in loco ſurſum lapis perficeretur; ut perficitur homo à charitate & beatitudine: quod falſum eſt; cum in eiuſmodi ſitu ſit ille corruptioni maximè expoſitus; quia contra naturam ſuam diſpoſitus. Tertiò, Quoniam trahẽs lapidem eſt modis omnibus & penitus extrinſecus, non ſic trahens in cœlum hominem Deus; qui etſi quantum ad naturæ eſſentiam ſit omnino extrinſecus; illabitur tamen homini, eiq; intrinſecus omnino eſt, cum eoque ſiue ad ſtudium operetur homo, ſiue ad meritum, ſemper cooperatur; ſi ad ſtudium, generali influxu; ſi ad meritum ſpeciali adiutorio. Vt nulla penitus in prædeſtinatione coactitia neceſſitas ſiue uiolentia eſſe poſſit; & in diuina attractione. Quam cõtinuatis deprecationibus, conſilio B. Auguſt. implorare debemus. qui ait tractatu 26. ſuper Ioan. *Nondum traheris, ora, ut traharis. Si non es prædeſtinatus fac prædeſtineris.*

Operis

Operis Epilogus. Cap. 27.

STudeamus igitur per bene morata, & rectę naturali rationi quammaximè cõformia opera, hoc eſt per rectum earum, quæ nobis natura inſeruit, animæ poteſtatum, in primis autem rationis & uoluntatis uſum, munificentisſimæ diuinæ largitati obicem aliquem non apponere; & ei, qui appoſitum uult amouere, non reſiſtere. Quò, per ſuam miſericordiam gratuitis ſupernaturalibus donis, ac beneficijs à Deo exornemur, & fide, ſpe, ac charitate ſupereminentibus uirtutibus imbuamur. Quibus imbuti, & exornati, ut pote diuino atque præualido ſupernaturali auxilio fulti, atque ſubuecti, opera uitæ æternæ meritoria agere ualeamus; non nos autem, ſed gratia Dei, quæ nobiſcum erit, & nobiſcum operabitur. Per quæ, tãquam per oppottuna & efficaciſſima media, ad cœleſtem patriam, perennemq; felicitatem noſtram euehamur, atque à Deo Opt. Max., vt ab omnis boni operis principio, per Deum & per Dei gratiam, tanquam per medium opportunum, ad Deum ipſum Opt. Max. ueluti ad finem optimum, & ad operum noſtrorum, quæ bona, & meritoria ſunt, mercedem eximiam, optatisſimam, atque amplisſimam miſericorditer prædeſtinemur, ſubuehamur, tranſmittamur, & exaltemur. Per Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria.

HAec ſunt, Beatiſs. Pater, quæ, ex illis ſex à me compoſitis, ſed nondum editis libris, in quibus de Prædeſtinatione & Reprobatione diligenter ſatis, ad ſanctarum Scripturarum, ſanctorumque Patrum Catholicam ſententiam, & exactè diſſeruimus, colligenda potiſſimum exiſtimauimus. Noſtrum, tam huius compendii, quàm illius prolixi operis labore, præcipuum conſilium fuit; non inter præclara eruditorum hominum ingenia doctorem agere; & ueteri illi prouerbio, Sus Mineruam, alludere. Quid hoc eſſet, uel indoctius, uel inſulſius? ſed pios animos, aliqua moleſtia, ſubleuare: quos in re admodum difficili, multaque denſa diſputationum caligine obſcurata, propemodum cęcutire perſpexeram. Illis quippe, opera mea, lumen aliquod, quale quale futurum ſit, quo tantum Dei beneficium, quantum prædeſtinatio eſt, illi utcunque intueri poſſent, ſuffundere conatus ſum. Quod ſi, ut ſpero, aliqua ex parte conſequutus fuero; Deo immortalis gratia; ſin minus, ignoſcendum nihilominus mihi erit; ſi tantam caliginem meo debili igniculo non prorſus excuſſerim.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RERVM IN HOC VOLVMINE contentarum Index locupletiſsimus.

Prior numerus faciem, poſterior lineam indicat. Ubi autem eſt Cap. prior librum, poſterior Caput.

A

ABORTIVI, *an ſaluari poſsint.* 1. *cap.* 36
P. Ambroſii Catarini de prædeſtinatione opinio. 24.26
P. Ambroſ. Catar. errauit. 25.5
Angelus diſcurrit impropriè. 20.26
Angelus liberatus eſt à miſeria. 11.2
Angelus malus ſine ſpe liberationis peccauit. 12.28
Angelus non diſcurrit. 20.20
Angelus non omnia ſimul intelligit, quæ poteſt intelligere. 21.3
Anima non inquinatur niſi propria uoluntate. 121.20
Attritio. 80.32. & 112.30
Auctor ſcripta ſua ſubmittit Sum. Rom. Pont. & peritiorum catholicorum patrum cenſuræ. 2.8

B

BEatitudo noſtra quæ ſit. 125.24
Beatos quos non efficiat Deus. 54.8
Beneficia Dei in ſummam redacta. 8.20
Beneficia diuina qui ſunt, qui aſſequantur. 10.2
Beneficia diuina pluuiæ comparantur. 49.14

Beneficiorum ſuorum quantum cuique tribuat Deus. 53.5.& 59.33

C

CHriſtus ab inſtanti conceptionis ſuæ comprehenſor fuit. 12.20
Chriſtus ut Chriſtus quomodo prædeſtinatus. 12.14
Chriſtus ut homo poteſt dici liberatus à miſeria, & quomodo. 11.13.
de Chriſti prædeſtinatione. 1.cap.9.& 14.1
Ciuis bonus patriam amat ſupra ſe. 66.27
Compendium iſtud cur factum. 1.cap.1
Contritio eſt donum Dei. 81.10.& 113.15
Creatura ad gloriam ſine gratia non potuiſſet proficere. 11.25
Culpæ leuiores remitti poſſunt in alio ſeculo. 10.13

D

DEcalogi mandata omnia, in uno continentur. 57.30.64.2
Decalogi obſeruatio ſecundum literam non ſufficit ad ſalutem. 59.7
Decalogi obſeruatio ſecundum ſpiritum, non eſt in noſtra naturali poteſtate. 59.23
Decalogi obſeruatio ad ſtudium, in noſtra ſita eſt poteſtate. 57.2.& 33.& 58.9.& 28.& 59.10
Decalogi præcepta mentibus hominum inſculpta ſunt. 64.5.
Decalogi præcepta ſunt de ijs, quæ naturalis ratio dictat. 59.12
Deſtinatio eſt rei in ſuo eſſe reali conſtitutæ. 4.27
Deſtinatio eſt tantum ad finem naturalem. 4.30
Deſtinatio eſt reſpectu cuiuſcunque rei. 5.3

Deus

Deus ad benefaciendum promptiſſimus. 7. 31. & 100. 10. & 116. 5

Deus ad ſe omnes uocat. 58. 18

Deus creauit hominem ad beatitudinem. 2. cap. 16. & 125. 5

Deus de nouo nihil poteſt addiſcere. 142. 26

Deus eſt omnipotens & omniſciens. 13. 25

Deus eſt eſſentia ſimpliciſſima. 22. 23

Deus falli non poteſt. 139. 26

Deus gratiam ſuam omnibus porrigit. 116. 9

Deus homini ſemper cooperatur, agenti bene ad ſtudium generali influxu; agenti bene ad meritum ſpeciali auxilio. 154. 20

Deus hominis & pater eſt, & patria. 67. 4

Deus malum non permittit, niſi ut benefaciat etiam de malo. 8. 16

Deus nemini nocere poteſt. 8. 11. & 53. 14

Deus neminē prior derelinquit. 98. 2. et 2. cap. 6. et 114. 6

Deus non aliter cognoſcit facienda quàm facta. 76. 17

Deus non eſt perſonarum acceptor. 1. cap. 26

Deus nouit tantùm benefacere. 8. 9

Deus nulla eſt peccati noſtra cauſa. 105. 23. (in hoc dubitatur) 106. 13. Auctoritates quæ oppoſitum dicere uidentur, quomodo exponendæ. 114. 25

Deus nunquam malum nobis optat, ut optat bonum ſemper. 118. 17

Deus per ſe & immediate nemini infligit pœnam. 102. 21.

Deum quempiam reprobare, quomodo intelligendum eſt. 110. 10

Deus quos reprobet. 110. 31

Deus

Deus ſi non eſſet, nihil eſſet. 61.16
Deus ſolus peccata dimittit. 111.26
Deus tantum ſupernaturalis beneficij apponit, quantum homo capax fuerit. 35.23. & 36.17. & 36.1. & 38.25. & 59.33
Deus ubique. 145.11.
Deus uoluntatem noſtram bonam multis modis adiuuat. 108.3
Dei cultus eſt naturalis. 65.19
Dei uoluntas eſt, ut mala pellantur de medio. 119.20
Deo futura incommutabiliter notiſſima ſunt. 22.33
Deo naturale eſt liberè benefacere. 37.5
in Deo nulla poteſt eſſe carentia, & defectus. 105.2
Dei donum fit meritum noſtrum. 48.33
Diabolus ſemper optat hominem affligere. 117.13
Diabolus non excruciat hominem quantum uult, ſed quantum permittitur. 117.17
Diaboli membra ſunt homines improbi. 120.21
Dilectio Dei, & proximi maxima orbis ornamenta, & uincula. 64.21
Diſcurſus duplex proprius, improprius. 20.11
Diſcurſus proprius ſoli homini conuenit. 20.12
Diſcurſus improprius. 2.10.20.21

F

Falconillæ anima ex inferno educitur precibus S. Primæ ſororis ſuæ. 144.1
Filius bonus patrem bonum ſupra ſe amat. 66.27
Finis duplex, naturalis, ſupernaturalis. 4.14
Finis naturalis quis hoc loco uocetur. 4.1
Finis ſupernaturalis quis hoc loco uocetur. 4.15

Gloria

G

Gloria dicitur merces. 39.27.& 40.27
Gloria dicitur retributio. 40.31. Dicitur præmium. 40.33. Dicitur ſtipendium. 41.1. Dicitur corona iuſtitiæ. 41.2
Gloria ex diuina miſericordia tantùm proficiſcitur. 39.8.& 41.11.& 1. cap. 23.& 44.13
Gloria ex operibus noſtris proficiſcitur. 1. cap. 22.& 39.31.& 40.18
Gloria per immenſum, meritum noſtrum excedit. 43.25
Gratia eſt ex operibus noſtris priuatiuè. 31.15. & 131.5
Gratia ex operibus proficiſcitur, & quomodo. 1. cap. 21. & 24.6.
Gratia non eſt ex operibus noſtris poſitiuè ſumptis. 33.16.& 38.2.& 130.20
Gratia non facit, ut opera non ſint noſtra. 40.8
Gratia præparans omnibus aßiſtit. 80.30
Gratia præparans poteſt appellari gratia præueniens. 13.12
Gratia quàm ultronea ſit. 55.10
Gratia ſemper inuita recedit. 98.5.
Gratiæ impedimenti amotionem inchoat in nobis Deus. 113.7
Gratiæ primæ receptio in anima eſt paſsio, ſicut receptio formæ in materia eſt paſsio. 130.20
Gratiam Deus ſolus confert. 32.26
Gratiam quo modo adipiſci poſſumus. 49.8

H

Homo ad beneficia ſupernaturalia ſuſcipienda poſitiuè à Deo diſponitur. 132.5
Homo ad gratiam ſe priuatiue diſponit. 131.28
Homo ad prædeſtinationem,& ad beatitudinem recipiendam, habet naturalem inclinationem. 18.2. & 131.7.& 15
Homo ad ſuam prædeſtinationem nullam uim agentem habet. 17.30
Homo ad uirtutem natus eſt. 62.30
Homo creatus eſt ad beatitudinem,non autem ad damnationem. 2.cap.16. & 125.5.& 126.20.& 127
Homo cur dictus eſt ἄνθρωπος. 21.10
Homo cur poſt alia factus eſt. 65.13
Homo cur ratione præditus factus eſt. 58.8
Homo eſt quid in mundo omnium præſtantisſimum. 65.5
Homo eſt quodammodo mundi finis. 65.7
Homo eſt totius corporatæ naturæ princeps. 65.10.& 12.
Homo exaltationem naturaliter appetit. 16.22
Homo ex ſe benè operari poteſt 1.cap.30.& 67.5.
Homo ex ſe Deum ſupra ſe amare poteſt. 1.cap.30.
Homo liberæ poteſtatis. 107.8.& 20.& 29
Homo liberatur à miſeria. 10.29
Homo naturæ inſtitutione Deum colit. 62.27. & 65.19.
Homo naturæ inſtitutione Deum ſupra ſe naturaliter amat. 62.21
Homo non ad damnationem ſed ad beatitudinem creatus eſt. 93.28.& 129.3.& 133.16
Homo nullus à Deo negligitur. 128.69.& 23.
Homo per prædeſtinationem, ſupra naturalis condi-

tionis

tionis ſuæ gradum attollitur. 18. 16
Homo pius rebus etiam aduerſis in Domino fruitur. 146.25
Homo ſolus proprie diſcurrit. 20.16.& 21.6
Homo ut beneficium ſupernaturale aſſequitur, ita prædeſtinari dicitur. 23.16
Hominis beatitudinem exoptat Deus. 127.13
Hominis damnationis homo cauſa. 133.2
Hominis de Deo cognitio naturalis. 60.30
Hominis præſtantia naturalis in operatione. 1.cap.29
Hominis præſtantia naturalis in contemplatione. 1.cap.28
Hominis ſalutis poſitiua cauſa Deus. 133.2
Hominis uita bellum eſt. 120.25
Homini agenti quod in ſe eſt, auxiliatur Deus. 74.9. & 78.2
Homini ad ſalutem ſuam ſufficit agere quod in ſe eſt. 1.cap.32.& 71.20.& 77.13.
Homini ad ſalutem ſufficit carere peccato. 72.1
Humana natura uerbo unita, ſi non fuiſſet unita, peccare potuerat. 11.15
Humana natura uerbo unita, ſi unita non fuiſſet, non profeciſſet ſine gratia. 11.21

I

INfantes quomodo agant quod in ſe eſt. 1.cap.35
Ex Inferno ſecundum Damaſce. animæ aliquæ ſunt eductæ. 83.24
Innocentiam in Adamo perdidimus. 81.28
Impedimentum auferas, aderit diuina gratia. 34.28.& 35.13
Impedimentum gratiæ quis amoueat. 35.3

Impedimentum non apponere eſt tripliciter. 32.29
Impedimentum ponere diuinæ gratiæ in nobis eſt. 1.cap.27
Inſpiratio diuina eſt ex diuina miſericordia. 13.28
Intellectus conuenit Deo, Angelo, & homini. 20.9
Iuſtitia uindicatrix eſt propter peccatũ, non contra. 110.1
Iuſtitia uindicatrix non facit ad uniuerſitatis perfectionem. 110.15

L

Liberum arbitrium tanto eſt liberius, quanto magis Deo adiutore nos agimus. 137.21
Liberum arbitrium non impeditur per prædeſtinationem, uel reprobationem. 2.cap.19. *Non per reprobationem* 134.11. *Non per prædeſtinationem.* 134.23.& 137.8
Libertati arbitrij atteſtatur reprobatio. 134.11
Liber uitæ differt à prædeſtinatione. 84.16
a Libro uitæ fit deletio. 84.20
in Libro uitæ mali ſunt aliquo modo ſcripti. 85.1

M

Mala quæ peccatoribus reddit Dominus. 101.22
Mala quõ peccatoribus reddat Dominus. 101.25
Malum Deus quomodo faciat. 116.18.& 2.cap.13. & 118.28
Malum Deus facit, permutando illud in bonum. 119.4
Malum pœnæ quomodo Deus faciat. 117.2
Malus cur uiuere permittitur. 108.27
Mali & culpæ Deus auctor eſſe non poteſt. 2.cap.9
Malo Deus benè utitur. 108.22
Malo Deus benè utitur. 2.cap.14
Malos inter homines & improbos pacatè uiuere non paruum Dei beneficium eſt. 146.21

Martyr

Martyr quis dicatur. 109.7

a Maſſa perditionis ſua uirtute nō extrahitur homo. 93.5

Maſſam perditionis quis fecerit. 93.10

in Maſſa perditionis qui ſint derelicti. 95.21

Memoria breuitate gaudet. 2.5

Meritum noſtrū uniuerſum eſt ex gratia. 44.26.& 45.17

Miſeria duplex. 10.10

Miſeria noſtra ex peccato eſt. 12.18

a Miſeria tres liberantur. homo, angelus, Chriſtus ut homo. 10.25

Miſericordia diuina dici poteſt, gratia præparans, & gratia præueniens. 13.7

Mißio & tranſmißio differunt. 17.7

N

Natura non patitur motum in momento. 90.14

Neceßitas, quæ à multis patribus, infallibilitatis neceſsitas dicitur, à S. Auguſtino neceſsitas iuſtæ miſericordiæ appellatur. 36.10.& 98.2.& 18

Negatio & priuatio differunt. 104.16

O

Opus naturæ eſt opus intelligentiæ. 16.22

Opus tantùm, quod ad Deum dirigitur, dicitur aliquid ab Apoſtolo. 42.16

Opus tantùm, quod ad Deum dirigitur, dicitur bonum ab Auguſtino. 42.20

Opera aliqua noſtra præcedunt prædeſtinationem & reprobationē. 95.3.et 135.17.& 23.& 136.2.et 136.8

Opera bona cœli ianuam aperiunt. 148.16

Opera bona noſtra ſunt in triplici genere. 1.cap.25

Opera bona bonitate gratiæ, quomodo ad prædeſtinationem faciant. 48.16.& 50.18.& 135.22

Opera quæ bonitate gratiæ bona non ſunt, non appellantur aliquid, ſed nihil. 152.7

Opera bona bonitate moris quomodo ad prædeſtinationem faciant. 47.7.& 50.11.& 136.12.& 146.10

Opera bona bonitate moris, & bona bonitate gratiæ noſtra ſunt, ſed diuerſimode. 148.17

Opera bona bonitate naturæ quomodo ad prædeſtinationem faciant. 46.28.& 50.26

Opera mala non ſunt ex poteſtate, ſed ex impotentia & infirmitate noſtra. 148.24

Opera meritoria, noſtra ſunt. 148.5.& 17

Opera noſtra, quæ ex nobis ſunt, quæ. 31.16

Opera noſtra ſumi poſſunt dupliciter. 31.23

Opera noſtra poſitiuè ſumpta. 31.27

Opera noſtra priuatiuè ſumpta. 32.6

Opera noſtra uim, quam habent ad diuina beneficia, habent ex diuina gratia. 41.25.& 43.15

Opera uapori comparantur. 49.16.& 136.23

Opiniones duæ uidentur de prædeſtinatione, quæ reuera non ſunt duæ, ſed una. 1.cap.24.& 51.1

Oppoſita ſe inuicem deſtruunt, non extruunt. 106.6

Orare Deum quomodo debemus. 144.21

Oratio Dei uoluntatem impermutabilem permutat. 144.8

Oratio ex inferno animas educit. 143.22

Oratio placat furorem diuinum. 143.12

Oratio reprobatum prædeſtinat. 143.17

Orationis uirtus. 2.cap.23

In Oratione adhibeat ſe homo totus Deo. 144.27

Orandum ſine intermiſſione. 2.cap.22

Oraturus an ad certā cœli plagā conuerti dēat. 2.cap.24

Otium

Otium peccatum eſt. 32.31.& 77.27

P

Paſſio duplex, perficiens & corrumpens. 130.27
Pater bonus filium bonum ſupra ſe amat. 66.27
Patiens quis dicatur. 109.7
Pauli conuerſio cur miraculoſa. 75.18.
Pauli conuerſio cur celebretur ab Eccleſia. 75.32
Peccator quilibet etiam grauiſſimus ſaluari poteſt. 1.cap.34.& 2.cap.11.
Peccator traditur diabolo tanquam carnifici. 88.9
Peccatoris conuerſio eſt motus aliquis. 75.14
de Peccatoris cuiuſque ſalute non eſt deſperandum. 97.2
in Peccatoris poteſtate quoquo modo animæ ſuæ ſalus exiſtit. 112.5
Peccatores punire bonum eſt. 120.11
Peccatum eſt impedimentum diuinæ gratiæ. 32.27. & 38.19
Peccatum non eſt, ſi non eſt uoluntarium. 56.21
Peccatum non facit ad uniuerſitatis perfectionem, ſicut nec morbus. 111.14
Peccatum ſolus Deus aufert. 32.26
Peccati noſtri cauſa. 105.23
Peccati noſtri quomodo Deus poteſt dici cauſa. 122.18
Peccato Deus benè utitur. 120.14
Peccata mortalia homo uitare poteſt. 63.28
Peccata uenialia naturalis rationis rectitudinem non tollunt. 63.24
Philoſophi probatiores antiqui, an ſalui. 1.cap.31
Philoſophi ſaluari potuerunt. 70.16
Philoſophis antiquis fuit cõmune uitium ſuperbia. 69.32

Plato

Plato in Protagora aſſerit cultum Dei eſſe homini naturalem. 65.30
Pœna æterna aliquando incipit in præſenti ſeculo. 10.18
Pœna duplex, ad probationem, & ad ſupplicium. 102.29
Pœna, quæ pro delicti ratione infertur, bonum quid eſt. 120.11
Pœnitens quis dicatur. 109.19
ad Pœnitentiam peccatores Deus patiẽter expectat. 108.4
Populus Chriſti quis dicatur. 14.5
Præ præpoſitio addita deſtinationi quid innuat. 5.12
Prædeſtinatio aſſeritur. 1.cap.2
Prædeſtinatio an ex operibus. 1.cap.18
Prædeſtinatio dicitur præparatio. 7.11
Prædeſtinatio dicitur præſcientia. 6.20
Prædeſtinatio differt à deſtinatione. 4.27
Prædeſtinatio ex bonis operibus noſtris aliquo modo eſt. 146.9
Prædeſtinatio eſt actio. 7.14
Prædeſtinatio eſt æterna. 1.cap.15
Prædeſtinatio eſt ratio. 16.4
Prædeſtinatio eſt tantùm creaturæ rationalis. 4.12. & 5.4
Prædeſtinatio eſt tantùm reſpectu finis ſupernaturalis. 4.14. & 5.10
Prædeſtinatio dicitur tractus. 19.3
Prædeſtinatio eſt tranſmiſsio quædam. 1. cap. 12. quæ multa habet nomina. 18.28
Prædeſtinatio multis modis ſumitur. 1.cap.3
Prædeſtinatio noſtra eſt per Chriſtum. 14.15

Præde-

Prædeſtinatio omnis eſt ſimul ex diuina miſericordia, & ex præſenſione operum, ſed differenter admodum. 30.5
Prædeſtinatio prouidentiæ pars eſt. 4.24.& 6.21. & 16.5
Prædeſtinatio ſi dicatur motus erit impropriè. 90.7
Prædeſtinatio ſimpliciter illa dicitur, quæ ad æternam uitam hominem ſubuehit. 24.9
Prædeſtinatio quæ hoc libro conſideratur. 3.27
Prædeſtinatio quomodo à prouidentia diſtinguitur. 4.10
Prædeſtinationis beneficia à ſolo Deo exhiberi poſſunt. 9.12.
Prædeſtinationis beneficia quot. 8.20
Prædeſtinationis diffinitio. 1. cap. 5.& 9.3.& 9.10.& 14.30.& 15.1.4.6.33
Prædeſtinationis diffinitio exacta. 6.3
Prædeſtinationis diffinitionum omnium ſententia, una eſt. 15.14
Prædeſtinationis principium, medium, & finis Deus. 1. cap. 14.
Prædeſtinationis finis. 5.17
Prædeſtinationi contradicere contentioſum eſt. 2.26
Prædeſtinatione abſque nemo ſalutem aſſequitur. 25.7
Ad Prædeſtinationem noſtram rectus uoluntatis noſtræ uſus prærequiritur. 50.8
in Prædeſtinatione nulla eſt coactio. 7.24.& 19.9.& fuſius. 151.27
In Prædeſtinatione opera gratiæ, & gratia operibus coniungenda eſt. 51.2.& 54.31
In Prædeſtinatione noſtra, quæ eſt ſubuectio quædam & tractus, gratia eſt ſicut trochlea, & opera ſicut

funis trochleæ innixius. 147.28
an in Prædeſtinatione ſit uiolentia. 151.27
De Prædeſtinatione duæ uidentur opiniones inuicem aduerſæ. 28. 20. conciliantur ab alijs iſtæ opiniones. 29. 2. conciliantur ab auctore. 1. cap. 20
De Prædeſtinatione ſingulorum non poſſumus iudicare in particulari, ſed tantùm in uniuerſali. 2. cap. 26
de Prædeſtinatione tractare difficile. 1. 6. & 11. & 2. 2
Prædeſtinationum plura genera. 1. cap. 16
Prædeſtinatæ creaturæ ſufficit habere eſſe in diuina eſſentia. 5. 5
Prædeſtinatus an poſſit damnari. 2. cap. 20
Prædeſtinatum non poſſe damnari, quomodo intelligendum. 137. 26
Prædeſtinatum poſſe damnari, quomodo intelligendum. 138. 13. & 141. 12
Prædeſtinatorum numerus ex parte noſtri eſt incertiſſimus. 139. 28. Ex parte Dei certiſſimus. 140. 8
Præſcientia cur tribuitur Deo. 7. 7
Priuatio & negatio differunt. 104. 16
Priuationis, ut priuatio eſt, cauſa poſitiua eſſe non poteſt. 105. 27
Prouidentia eſt rationis non autem ſenſus. 16. 15
Prouidentia eſt rerum omnium. 3. 11
Prouidentia eſt reſpectu cuiuſcunque finis. 4. 13
Prouidẽtia quid ſit. 6. 26. ex Boetio. et 16. 10. ex D. Tho. 7. 12

R

RAtio ſumitur dupliciter. 20. 5
Rationes diuinæ nõ tranſeunt in præteritum. 138. 15
Reprobatio à diuerſis diuerſimode deſcribitur. 91. 13
Reprobatio aſſeritur. 2. cap. 1

Repro-

Reprobatio cur dicatur æterna derelictio. 92.16
Reprobatio eſt per uoluntatem conſequentem. 93.25
Reprobatio eſt ex malis noſtris operibus 147.6
Reprobatio non eſt per prædeſtinationem ante Adami peccatum. 94.13
Reprobatio non eſt per antecedentem uoluntatem. 93.13
Reprobatio apponitur quandoque prædeſtinationi contrariè, & quando. 89.29.& 90.16
Reprobatio quandoque opponitur prædeſtinationi priuatiuè, & quando. 90.22
Reprobatio quid ſit. 92.4.& 2.capite 7.& 101.18.& 2.cap.8.& 104.5.& 20.
Reprobatio ſi motus dicatur, impropriè eſt. 90.7
Reprobatio ſumitur tribus modis. 88.18
Reprobationis diffinitio ab Auguſtino tradita ab aliquibus reprehenditur. 96.11.*ſed defenditur.* 96.29
Reprobatus an poſſit ſaluari. 2.cap.29
Reprobatum non poſſe ſaluari, quomodo intelligendum. 137.26
Reprobatum poſſe ſaluari, quomodo intelligendum. 138.13.& 141.12
Reprobatorum numerus certisſimus. 2.cap.21
Reprobatorum numerus ex parte noſtri eſt incertisſimus. 139.28. *ex parte* Dei *certisſimus.* 140.8
Reprobi cum bona docent magis eſt timendum. 88.5
Res qualibet, Deo excepto, eſt alterius rei effectus. 32.11
Res qualibet eſt alterius rei cauſa. 32.2
Res cunctæ Deum quoquo modo reuerentur. 64.30
Rerum naturas ſeruat Deus, non corrumpit. 107.13

S

SAgitta in ſignum, in quod mittitur, per ſe perue-
nire non poteſt. 17.19.
Salus hominis eſt aliquo modo in hominis poteſtate. 78.18.
Sanctificati in utero egerunt, quod in ipſis erat, & quomodo. 76.10
Sanctorũ imagines uenerandæ, & ſancti orandi. 146.3.13
Sanctorum ueneratione magis deuoti, & magis exaudibiles efficimur. 146.8
Senſus reprobus datus in pœnam. 88.27
Sol (quantum in ſe eſt) uniuerſas orbis terrarum partes illuminat. 105.17

T

TRaiani anima de inferno educitur S. Gregorij precibus. 143.28
Tractus eſt motus uiolentus. 157.30
Tractus duplex, proprius & metaphoricus. 152.22
Tractus metaphoricus cum proprio habet multam ſimilitudinem. 152.24
Tractus metaphoricus in ijs in quibus aſsimilatur tractui propriè dicto, eſt etiam illi diſsimilis. 153.19
Turpitudinis noſtra quomodo Deus eſt cauſa. 122.18

V

VAſa turpia quomodo Deus faciat. 122.18
Virtus moralis in hominis poteſtate ſita eſt. 62.32.
Virtus nulla, ut ſit, indiget uitio. 2.cap.10

Virtus

Virtus quęlibet uitium fugat. 109.5
Virtus ſecundum naturam eſt. 63.10
Viuere cum uirtute, quid ſit. 63.9. & 13
Viuere cum uitio, quid ſit. 63.3
Vitium præter naturam eſt. 63.7
Vocatio ipſa ad fidem eſt effectus prædeſtinationis. 25.30
Voluntas eſt potentia naturaliter libera. 112.8
Voluntas Dei beneplaciti eſt duplex, cum ex ſeipſo, tum ex alterius culpa. 118.13
Voluntatem malam quid faciat. 121.14
Voluntatem malam Deus non facit. 121.11
Voluntate mala benè poteſt Deus uti. 121.13

F I N I S.

Errata Emendata

Numerus prior faciem, poſterior lineam indicat.

		Errata	Emendata
31.	7.	cap.21	cap.xI
31.	31.	indita	inditam
36.	12	ſuæ,demandare	ſuæ non demandare
36.	17.	ἥκιος	ἥλιος
44.	17.	uniuerſum, excedit quod	uniuerſum excedit, quod
45.	31.	priuatiuo) qui	priuatiuo,qui
47.	2.	aliæ operationes	aliæ. Operationes
47.	21.	conantur. Non	conantur (Non
47.	23.	reſiſtunt; &	reſiſtunt) &
48.	18.	præcedunt	procedunt
55.	5.	conformes(operationes,	conformes operationes(
78.	13.	beneficijs,& ope	beneficiis ope
91.	7.	declarantur	declarabitur.
106.	19.	Deus confitentur	Deum confiteantur.
112.	21.	poteſt, &	poteſt) &
113.	3.	malo	modo
116.	6.	aut non porrigere	aut porrigere
124.	8.	paſtor	plaſtor
144.	6.	Damaſcanus	Damaſcenus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE